

Q.K.
367
38.

(X 1882543)

II n
401

DE
PEREGRINATIONE
PAULLI MACEDONICI
PER GRÆCIAM,
ad Livium XLV. 27. 28.

EXPOSITIO,
cum Parallelismo triplici,
Quam
Amplissimi Philosophorum Ordinis indultu
in
ACADEMIA LIPSIENSI

PLACIDÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI
submitunt

PRÆSES

M. GEORGIUS Sebrecht Wilke/ Misen.

&

RESPONDENS

MATTHIAS HEINRICUS HOPPIUS,

Gatterschl. Halberst. Sax.

die XIX. Decembr. M DC LXXXVIII.

H. L. Q. C.

Typis CHRISTIANI GOEZI.





§. I.

PEREGRINATIONEM PAULLI MACEDONICI dicere licet aliquid ex PEREGRINATIONE PUBLICA PRIVATAQVE habuisse mixtum. Peregrinantur Principes, quique rerum summam tenent, quando eos negotia imperii à Regiâ suâ evocant: vel ad propiora, velut *peregrinatio suburbana* verbo Tiberii Cæsaris, memorata est *Tacito*, A. III. 47. 5. vel ad longinquiora, sicut Augustus provincias etiam remotiores, belli conficiendi, rerumq; ordinandarum causâ sæpius adiisse dicitur *Sueton*. A. XLVII. Et ex recentiori Historia CAROLUS V. Imperator, cum Philippo filio Belgii principatum pleno jure traderet, *expeditiones profectioesq; novem in Germaniam, sex in Hispaniam, septem in Italiam, quatuor in Galliam, decem in Belgium, duas in Angliam, totidem in Africam ad Religionis & Imperii tutelam à septimo decimo ætatis anno ad eam usque diem confecisse recitat, apud Famian. Strad. Lib. I. p.m. 4. & 5.* Peregrinari autem quondam etiam dicti sunt Romani magistratus & legati, quique aliis nominibus Reipublicæ administrandæ adhibebantur, cum ex Senatûs, Populiq; mandato, profectioem in longinqua suscepissent. Quo in genere POMPEJUS certè fuit: cum, quod habet *Vellejus*, ad opprimendos piratas mitteretur, *essetq; ei imperium æquum in omnibus provinciis cum Proconsulibus, usque ad quinquagesimum miliarium à mari, quo SC. penè totius terrarum orbis imperium uni viro deferebatur, Lib. II. 31. 3.* Atque haud dubiè etiam GERMANICUS: cum referente apud Patres, seu potius jubente Principe Tiberio, *non posse motum Orientem, nisi Germanici sapientiâ componi*: decreto Senatus permissæ Germanico provinciæ, *quæ mari dividuntur, majusq; imperium quoquo adisset, quàm his, qui sorte aut missu Principis obtinerent. Tac. A. II. 43. 1. 2.* Sed fuit & PAULLUS. Quem priusquam fieret Consul, omnium sermones ad finiendum tandem bellum Macedonicum destinaverant: & cum

jam renunciatus esset, extemplo non segniter bellum gesturum credebant, eò quod, ut ait Livius, *alius vir erat, tum quod dies noctesq; intentus, ea sola, quæ ad id bellum pertinerent, animo agitabat.* XLIV. 17. 18. Ceterum eò tendenti PAULLO quantopere peregrinandum fuerit, cum inspectio Chartarum Geographicarum prober, juvat tamen etiam ipsum PAULLUM audire, qui iter suum apud *Livium* descripsit: *Venisse se à Româ Brundisium, inde Corcyram, quintoq; die Delphos, ac per Thessaliam in Macedoniam perrexisse.* Quâ subactâ penetratâq; denique in extremâ Macedonia orâ versus Thraciam in urbe *Amphipoli* confedit. XLV. 41. & 9. Verùm Germanici peregrinatio multò etiam prolixior fuit. Qui, ut propinquiora mittam, Nicopolim, Leucatum, Athenas, Eubœam, Lesbum, extremaq; Asiæ, tum & Perinthum, ac Byzantium, Thraciæ urbes, mox Propontidis angustias, & os Ponticum, exindeq; Asiam, Colophona, Syriam transivit: donec in Armeniam, cui constituendæ missus erat, penetravit. Quæ ex *Tacito* A. II. 53. 54. & 55. excerpta sunt.

§. II.

PAULLUS autem, ut ad hunc redeam, cum Reipublicæ negotiis quam debebat operam dedisset, superante tempore, (nam Senatus Populiq; Romani arbitrium de Macedonia devictâ expectandum erat) AD CIRCUMEUNDAM GRÆCIAM, VISENDAQVE QUÆ NOBILITATA FAMA, MAGIS AURIBUS ACCEPTA SUNT QUAM OCULI NOSCUNTUR, animum intendit. *Livius* XLV. 27. Pari modo, ut de Germanico *Tacitus*, illum cum in cetero itinere, ac itineris diviticulis, cupidine veteres locos & famâ celebratos noscendi accensum, tum in ÆGYPTUM quoque, cunctis jam socialibus compositis, cognoscendæ antiquitatis causâ profectum, commemorat A. II. 57. sqq. Quo spectat etiam, quod de Alexandro, quanquam non sine notâ quâdam *Curtius*: *Cupido, inquit, haud injusta quidem, ceterum intempestiva inceserat, non interiora modò Ægypti, sed & Æthiopiam invisere. Memnonis Tithoniq; regia, cognoscendæ vetustatis avidum traherat penè extra terminos solis. Sed imminens bellum, cujus multò major superaret moles, OTIOSÆ PEREGRINATIONI tempora exemerat.* IV. 8. 3. Rex enim, qui Orientis imperium pridem animo hauserat, nihilq; minus in eâ re, quam moram hætenus pati potuerat, non injuria suis ipse propositis disconvenire visus est, quando instantioribus curis, nunc quidem, sic speciosum otium, ut postea luxuriam prævertit, *Curtius* V. 7. 1. f.

§. III.

§. III.

At publicis PAULLI curis nullum, quod diximus, ex PEREGRINATIONE GRÆCIÆ impedimentum. Quin tutò jam rebus raritate aut vetustate nobilibus visendis vacare, quantoquecunque vellet studio, quæ uspiam pulchra, quæq; cognitu digna celebrarentur perscrutari dabatur.

§. IV.

Et ut distinctius, perq; partes procedamus, contemplabimur primum omnium PEREGRINATEM: dehinc PROVINCIAM, quam visendam statuit: ac post cognitionis hujus CAUSSAM, tum & MODUM. Nam SERIEM ipsam argumentumq; totum adeò ITINERIS, prout Livius præivit, ita unumquodque nos deinde EXPOSITIONE justâ prosequemur. Præfati initio, nos non aut ingenio, vel iudicio lectioneve sic instructos subactosqve, ut absconditi quidpiam admirandiq; à nobis expectandum sit: ut potius ingenuè profiteamur, nihil nos allaturos esse, præterquam quod nobis Auctores Græci Latiniqve, quos olim adolescentes familiares habuimus, quosq; nunc etiam juvenes in contubernio retinemus, (sic merentur) dederint de suo. Ut neque denique sperandi sint à nobis, etiam ubi fors possemus, allegationum inanes tituli, & ludibria cetera simulationum: quibus illi quoque, qui non planè fallunt aliquandoqve, incassum se jactant.

§. V.

PEREGRINATOREM nobis Livius proponit L. ÆMILIUM PAULLUM, filium illius Paulli, qui ad Cannas quàm tergiversanter pernitiosam Reipublicæ pugnam inierat, tam fortiter in eâ mortem obierat. Vell. I. 9. Liv. XXII. 44. 45. NOBILITATI ergò fidem facit sanguis patricius Æmiliorum, isq; pervetustus: INSTITUTIONI verò eæ ætas Populi Romani, quæ, ut Plutarchus ait, δόξαις ἢ ἀρεταῖς Ἰπικρανεσάτων ἀνδρῶν ἢ μεγίστων διέλαμψεν in Æmil. 256. hoc est, uti Florus convertit, armis virisq; incitatissima fuit: Præf. 6. Et INDOLI denique, quod jam inde à puero fortitudinis, justitiæ, fideiq; gloriam quæsivit, illisq; virtutibus illicò æquales suos anteivit. Plut. l. c. Sensimq; tunc etiam Catonis maximè exemplo, inolescebat mos, Romana ingenia cum Græcis artibus miscendi. Unde non ipse modò amabat istas literas, sed filios suos quoque, super disciplinam Patriæ, quâ ipse olim imbutus fuerat, unà ad ἐλληνικὴν παιδείαν, ut inquit Plutarchus, φιλοτιμότερον,

τερον, hoc est, *ambitiosè penè assefecit*. Ac ne annos atque experientiam, & honores, fortunamque; universam PEREGRINATORI tam illustri defuisse putes, sexagenarius circiter, sed corpore vivido, omnis divini humanique; juris peritissimus, summisque; honoribus perfunctus, bis jam Consul, binis etiam triumphis ductis, atque usque adeò in omni re felix profectus fuit, ut quod de Alexandro M. olim dubitatum fuit, *plusne virtuti debuerit, an verò fortunæ? Curtius X. 5. 33. & Plutarchus oratione geminâ de virt. & fort. Al.* hoc idem Græcus auctor etiam ad PAULLUM traduxerit, in *Æmil.* 255.

§. VI.

Ac proinde PEREGRINATOR noster à prudentiâ, dignitate, titulis, maturitate, quodque; in isto genere non minus est, etiam à Lingvâ, Historiâ, Geographiâ, variaque, ut breviter dicam, scientiâ Artium, præviâque; notitiâ Gentis, quam adire decreverat, moribusque; quin etiam, ac eruditâ adeò virtute instructissimus, quid ubique cognitu cogitatuque; pulchrum, quid æmulatu decorum, quos in usus, quam per artem valeret, ne utquam sic ignorare, neque excidere adeò peregrinantis FRUCTU potuisse, præsumendus.

§. VII.

Elegit autem GRÆCIAM spectandam opportunitate usus, quam eadem ipsi fortuna, de quâ modò diximus, dederat ad manum. De *Graciâ* frustra sit fortasse dicere, post tot penè omnium gentium temporumque; dicta. Ex *Cicerone* tamen allegare fas sit, quo loco ipse, *hæc cuncta*, inquit, *Græcia, quæ famâ, quæ gloriâ, quæ doctrinâ, quæ plurimis artibus, quæ etiam imperii & bellicâ laude floruit, parvum quendam locum Europæ tenet, semperque tenuit, Asiæ maritimam oram bello superatam cinxit urbibus. Or. pro Flacco.* Breviter: exhibebat Græcia in compendio, quicquid uspiam dignum visu. Et extat in eam rem PAUSANIÆ Cæsariensis, qui Adriani Cæsaris temporibus floruit, accurata Græciæ descriptio, quâ Lector ceu manu per eam circumducitur. Opus antiquæ raræque; eruditionis thesauros continens, ubi multa recondita, multa scitu pulchra, & diligentia incredibilis, creberrimæque; digressiones; per quas Auctor dum divagatur, innumeros Poëtarum locos obiter enucleat; quarum raritas mirum in modum oblectans, Lectorem vel invitum detinet. Nosque; quæ licitum erit, & ad iter PAULLI pertinebunt, inde passim excerpemus.

VIII.

Quibus autem CAUSSIS stimulisq; commotus PAULLUS, circummeundam Græciam statuerit: illud partim disertis verbis *Livius* expressit, pars etiam ex narratione ipsâ inveniendum Lectoribus reliquit. Palàm enim ferebat, ire se ad VISENDA, QVÆ NOBILITATA FAMA MAGIS AURIBUS ACCEPTA SUNT, QVAM OCULIS NOSCUNTUR. XLV. 27. Et potuisse his ignibus accendi generosum animum, *Alexandri, Germaniciq; Caesaris* exempla comprobant, quæ nos adduximus paullo ante. Sed *Strabo* præterea ex Ægyptiis Regibus *Sesostri*m, atqve *Ptolemæos*, præcipuè *Philadelphum*, omnes *Φιλισορθεύτας*, hoc est, cognitionis rerum apprimè studiosos laudat multùm eo nomine: & alios porrò contentione hujus exempli arguit, ut investigandæ naturæ & antiquitatis occasionibus instrumentisq; bonis segniter, usos, atqve in eo Philosophiæ, cujus amorem præ se ferebant, parum memores. *Geogr.* XVII. Verùm & aliam arcaniorem, sed imprimis PAULLO DIGNAM causam *Plutarchus* indicat in *Emilio* 270. Cùm non diffitetur sanè, illum in visendâ Græciâ ἐνδοξον ἅμα καὶ Φιλανθρωπὸν διαγωγὴν, id est, honorificam simul atqve humanissimam oblectationem quæsiuisse: sed addit præterea, Ἰππιῶν γὰρ ἀνελαμβανέλης δήμους, καὶ τὰ πολίτευματὰ καθίστατο, καὶ δωρεὰς ἐδίδω, adisse populos, eosq; recreasse, ordinasse statum, dona contulisse. Quod idem est, ac si tu aliquantò plenius enunties: PAULLUM victâ jam subq; jugum missâ Macedoniâ, per reliquam deinde GRÆCIAM suæ Reipublicæ auctoritatem spectaculo favorabili imprimis sic circumtulisse, Romaniq; reverentiam Imperii insinuasse animis, commendasse populis: tanquam si à Romano cœlo salutaris genius, ad refovendos beneficio, gratiâ, virtute amicos subjectosqve, nec minus ad pelliciendos iisdem artibus inimicos descendisset. Cui rei neqve defuit etiam PAULLUS ordine, & constantiâ, & moderatione dictorum omnium atqve factorum: quæ, ut *Cicero* ait, eorum, quibuscum vivitur, approbationem movent: *de Offic.* l. 28. inq; Cæsare Germanico, per Ægyptum peregrinante, notabili caractere à *Tacito* signata sunt, cum inquit: magna illi comitas in socios, mansuetudo in hostes; visuq; & auditu juxta venerabilis, cùm magnitudinem & gravitatem summæ fortune retineret, invidiam & arrogantiam effugerat. A. II. 72. 3. Illud verò, ne omittamus, fors etiam liquidius ex ipso *Livio* apparet, fuisse PAULLUM aliquâ ex parte etiam Religione, quadam

quodam in Græciam expulsus. Tam nimirum ille sedulo & accurate Numinibus locisque; tunc celebratissimis sacra sua perfecit. Ac docet nos *Plutarchus*, ita PALLUM veteribus institutis fuisse intentum, atque ita majorum suorum religiones perdidicisse, ut cum sacerdotium, atque auguratus, honor esse aliquis vulgo existimarentur: ipse contra ostenderit *ex summis esse artibus: suffragatusque sit Philosophis, qui Religionem definiverunt colendi Dei scientiam esse. in Æmil. 256.* Potuitque; imo etiam votum accedere. Nam profectus ex Italia ad bellum, Delphis primum omnium Apollini pro se exercitibusque; sacrificasse, legitur apud *Livium XLV. 41.*

§. IX.

Quodque; denique ad MODUM profectiois spectat: etiam hoc, ut alia omnia, perquam commodè acciderat PAULO, ut AUTUMNI FERE TEMPORE per Græciam peregrinari posset. Scilicet ubi confederant jam illi Græciæ familiares æstus, & stabiles cum primis tempestates, iterque incessuris firmissimum. PROPECTUS autem EST CUM HAUD MAGNO COMITATU. Scilicet ut peregrinationem, non bellum, vel triumphum spectare Græci crederent. Sed enim verò alio tempore NERO Cæsar *nunquam minus mille carucis fecisse iter traditur. Sveton. Ner. XXX.* Et CALIGULA usque; adeo etiam à propinquare urbium plebe verri sibi vias & conspergi propter pulverem exigebat. *Svet. Cal. XLIII.* Fuitque; Persarum quoque iste luxus, & Regum Syriæ: de quibus multa *Athenæus* multis locis. Ulti jam quia exemplis ejusmodi gravari se putabat, potius non eundem sibi ipsi per provincias MARCUS IMPERATOR duxerit: quod diceret *etiam modestissimos Principes non omnino sine damno posse aut molestiâ incedere.* Nec tamen soli fortasse Reges Cæsaresve sic insanivere. Quin liberâ etiam tunc, sed declinante jam Republicâ Romanâ, quo incessu, quibusve moribus iverint per provincias magistratus præsidesve, de Verre *Cicero* testatur; *profectus est, inquit, non ut Legatus Populi Romani, sed ut quædam calamitas pervadere videretur. Verr. III.* Idemque; Auctor in genere, & priores illos Asiæ Præsides indirectè reprehendens, in divinâ illâ Epistolâ, ad unum quidem, *Quinrum Ciceronem M. Fr.* scriptâ, quæ tamen omnibus provinciarum aut civitatum rectoribus norma quædam & benè agendi regula esse potest. Ubi sic ait: *Quid autem reperiri tam eximium, aut tam expetendum potest, quam istam virtutem, moderationem,*
animi,

animi, temperantiam, non latere in tenebris, neque esse abditam, sed in luce Asia, in oculis clarissima provincia, atque in auribus omnium gentium esse positam? non ITINERIBUS tuis perterriti homines? non sumtu exhauriri? non adventu commoveri? esse quocumque veneris & publice & privatim maximam letitiam? cum urbs custodem, non tyrannum, domus hospitem, non expilatorem recepisse videatur. Ceterum non is PAULLI temporum genius. Quæ qualia fuerint, intelligas præcipue ex Ciceronis descriptione in materiâ cognatâ. Laudat, inquit, Africanum Panætius, quod fuerit abstinens. Quidni laudetur? Sed in illo alia majora. Laus enim abstinentiæ non hominis est solum, sed etiam TEMPORUM ILLORUM. Omni Macedonum gazâ, quæ fuit maxima, potitus est PAULLUS: tantum in Ærarium pecuniæ invexit, ut unius Imperatoris præda finem attulerit tributorum. At hic nihil in domum suam intulit, præter memoriam nominis sempiternam. Imitatus Patrem Africanus nibilo locupletior Carthagine eversa. Quid? qui ejus Collega in Censurâ fuit L. Mummius, numquid copiosior, cum copiosissimam urbem funditus sustulisset? de Offic. II. 22. Et Lib. III. 31. ubi de M. Attilio Regulo agit: nam quod rediit, inquit, nobis nunc mirabile videtur, ILLIS QUIDEM TEMPORIBUS aliter facere non potuit. Itaque ista laus non est hominis, sed TEMPORUM. Hæc ergo tempestate CATO ille Censorius, provinciam Sardiniam sortitus, oppida ipsa sine vehiculo pedibus obibat: unus sequebatur accensus, qui ei vestem & cymbium ad libandum portabat. Plut. Cat. Maj. 339. Ceterum ut cognoscas nullam unquam ætatem tam sterilem virtutum fuisse, quæ non & bona exempla prodiderit: etiam sub Principibus antiqui illius moris specimen GERMANICUS CÆSAR retulit: cui motus tunc Oriens, hoc est, transmarinæ omnes provinciæ Imperii Romani componendæ datæ erant. Is enim, dum Ægyptum lustrat, multa in vulgus grata usurpavit, sine milite incedere, pedibus intectis, & pari cum Græcis amictu, Publii Scipionis emulatione; quem eadem factitavisse apud Siciliam, quamvis flagrante adhuc Pænorum bello acceperat. Tac. A. II. 59. 2. Liv. XXIX. 19.

§. X.

Pergit autem Livius narrare, LATERA PAULLI SCIPIONEM FILIUM, & ATHENÆUM EUMENIS REGIS FRATREM TEXISSE. XLV. 27. Hunc SCIPIONEM Paulo Macedonico procreatum, Africani illius magni Filius in decus gentis assumserat. Flor. II. 15. 12. I-

B

demque

demque Valerio Maximo aviti spiritus egregius successor, ac Scipio Æmilianus vocatur. III. 7. 2. Ac plenius insuper de eo Livius: Consulem, inquit, cum se in castra victor recepisset, ne sincero gaudio frueretur, cura de minore filio stimulabat. Publius Scipio is erat, Africanus & ipse postea, deletâ Carthagine appellatus, naturalis Consul PAULLI, adoptione Africani nepos. Is septimum decimum tunc annum agens, quod ipsum curam augebat, dum effusè sequitur hostes, in partem aliam turbâ ablatu erat: & seriùs cum redisset, tunc demum recepto sospite filio, victoriæ tantæ gaudium Consul sensit. XLIV. 44. Quia verò idem Scipio elegans quoq; liberalium studiorum omnisq; doctrinæ admirator fuit: Vellej. I. 13. 3. paulloq; ante Bibliothecam Regis Persei à Patre dono sibi dari petierat, Plut. Æmil. 270. istam quoque Pater ex peregrinatione Græciæ materiam ingenio Filii præbendam censuerat. Quâ ex re simul non putaverim temerè Scipionem hunc sine uno & item altero Græculo Philologo, Regiæ fors Bibliothecæ paullo ante præfectis, nec sine pictore etiam, ad umbrandis nempe rerum memorabilium figuris, aut non certè sine libellis quibusdam inivisse iter; in quibus, sive quæ cognoscenda & inquirenda erant, descripta jam extabant, seu quæ cognita, visa, audita quotidiè forent, quantâ mox fieri posset sollicitudine consignarentur. Sed ATHE-NÆUM præcipuè Eumenis Regis Fratrem, PAULLUS comitem assumerat, quod is rerum Græciæ locorumq; gnarus pridem habebatur. Quo spectat etiam sapientia Homeri: quando Ulyssi suo ad exploranda loca peregrina, & cognoscendas res gentium digredienti, vel Mercurium, vel sapientem virum, comitem, monitorem, magistrum, interpretem occurrere fecit. Pro quibus Germanico in peregrinatione Ægypti Sacerdotes fuere: quos viros sapientes, Regumq; convictu assuetos Strabo XVII. & Herodotus II. prolixius describunt. Quibus nos præmissis, quod decebat, jam ad ipsam deinde SERIEM contextumq; PEREGRINATIONIS GRÆCIÆ venimus.

§. XI.

Initium profectionis ex AMPHIPOLI ductum inde colligas, quia milite in hyberna dimisso, maximam partem copiarum Amphipolis, reliquas propinquæ urbes acceperant. Liv. XLV. 9. Et indidem Perseus revertenti PAULLO, nimis solutâ custodiâ obviam procescit, Liv. I. c. 28. moxq; & ipse PAULLUS eò venit, l. c. & venere Ætoli ibi ad adventum PAULLI adesse jussi, l. c. legeratq; hanc sedem PAULLUS, quò de

de proximo Thracas specularetur, robur paullo ante exercitus Macedo-
nici: *Flor.* II. 12. 3. quos victo quantumvis Perseo tam non cunctanter
Roma in amicitiam recepit, quam satis constabat, non ingenio suo tam
mites Thracas, sed inertiam Regis Persei destitutos, superaturos tamen a-
nimis, si nonnihil in praesens temporibus fortunaeque concederent.
Liv. XLV. 42.

§. XII.

Viam autem in GRÆCIAM meditati, transverso itinere per
MACEDONIAM fuit & THESSALIAM eundem. Et ivit cursim.
Nam transierat proximè armatus, moxque etiam victor. Sed quantum-
cunque properaret, si spectator naturae advenisset PAULLUS, occurre-
bant denuò felices campi, & uberrimum solum, tum illa imprimis a-
mœnissima Tempe, & Peneus fluvius, cum urbibus suis THESSALONI-
CA & LARISSA, quaeque in medio istarum jacet PELLA, quam omni-
um Macedonicarum maximè illustrem fecerant duo in illa nati, Philip-
pus Graeciae domitor, atque etiam Orientis Alexander. At militarem
virum advertabant propius nobiles eorum greges, qui in Thessalia
multis locis alebantur, Thessaliique equites, quos invictos bello, quaedam
etiam ante adventum PAULLI clades Romanorum docuerant; tum
munimenta provinciarum & manu facta multa, & plura praeterea atque
fortiora illa, quae naturalia vocamus: ut sunt Strymon, Axius, Erigo-
neus, Aliacmon, atque ille jam dictus Peneus, tum & Sperchius ceterique;
ex montibus autem Othrys atque Oeta, & ille tot declamatoribus olim
dictus & velificatus Athos; tum in Thessalia Olympus, Ossa, Pelius, gi-
gantum fabulam belloque memorati. Super omnia autem erant tumuli
ipsi, sive memoriae potius, quas in Commentariis antiquis legerat PAUL-
LUS, vir haud profecto ignarus veterum Heroum, Pelei Achillisque,
tum & propiores verioresque historiae Alexander & Philippus: de quibus
tuto usurpes, quod de Cyro & Semiramide Alexander iudicavit, non a-
lios magis admirandos esse, quod *in iis & magnitudo animi, & claritas
rerum longè eminuisset.* *Curtius* VII. 6. 20. De Alexandro autem ipso, e-
jusque Patre ita Livius: *Macedonum, inquit, obscura admodum fama usque
ad Philippum Amyntae Filium fuit: inde ac per eum crescere cum cepisset,
Europae se tamen finibus continuit; Graeciam omnem ac partem Thraciae at-
que Illyrici amplexa. Superfudit deinde se in Asiam: & tredecim annis, qui-
bus Alexander regnavit, primum omnia, quae Persarum propè immenso*

spacio imperium fuerat, sua ditionis fecit. Arabas hinc Indiamq³, qua terrarum ultimus finis Rubrum mare amplectitur, peragravit. XLV. 9. Sed quia demum neque etiam tam rudi PAULLUS circa Artes sensu, credibile quoque est cuncta illi, & opere & materiâ præstantia, quæque sive ingenio suo efformaverant Græci, sive ex Orientis quondam spoliis in Patriam advexerant, signa, tabulas, vasa, instrumenta, domos etiam, theatra, arces, hortos, ac si quod reliquum est, in utrâque provinciâ fuisse monstrata.

§. XIII.

Sed veniendum jam DELPHOS est, quò primum omnium in Græciâ PAULLUS ire decreverat, urbem non modo Phocidis, ac neque Græciæ, sed toto orbe clarissimam. Eam Livius medium umbilicum Græciæ. XLI. 23. umbilicum orbis terrarum XXXIIX. 48. Pindarus ὀμφαλον ἐρεβόμης χθονὸς Pythion. VI. mediamq³ tenentes orbis humum Ovidius Metam. vocavere. Conferatur & Strabo, Geograph. IX. quod tamen neque de Græcia propriâ, quam vocant, quanquam hoc aliquantò propius ad verum, ac multo minus de Græciâ, tantum abest de Terra universa, Geographiæ rationes ullæ dicere permittunt. Illud fors concessum Pindaro dixisse, fuisse Delphos ἀεργὴν ἀφροδίτας ἢ χαρίτων Veneris aut Gratiarum arcum l. c. Imminebat quippe Delphis Parnassus biceps mons, sedes Poëtis atq³; Domicilium Musarum, quorum etiam ingeniis vel maximè nobilitatus est. Neque ita longè præterea Helicon aberat, celebritate vix inferior Parnasso. Tum nescio quid, & malè semper congruens, de Castalio fonte, hinc & inde à Vatibus relatum. Illud interim Straboni largimur, Delphos opportunissimè jacuisse adituris. Sed erat præcipuè efficax ad famam, quod oraculum illic Apollinis, & Amphictyonum confessus, oppidò multos civium Græciæ, Regumque etiam exterorum huc pertraxit. Hoc & Strabo nobis l. c. & Pausanias in Phocicis confirmat. Qui idem auctor etiam de Templo Delphico, septoque Appollinis, & de Architecto Templi, & Structura, deque Oraculo ipso, ac de Donariis & Theauris, hoc est, Donariorum cellis, etiamque postremò de periculis damnisque narravit. De quibus & Strabo diligenter, ut solet, primò, ait vicinos tantum consuluisse: insecutis deinde temporibus etiam procul advenisse, & missa è longinqvo dona, ut à Cræso, Alyat.

Alyatta, patre Croesi, Italis Siculisque nonnullis. Ceterum docet divitias tantas difficulter custoditas, etiamsi sacrae fuerint, eò quod invidiae factae sint obnoxiae. Recensetque direptores, additque poenas, *l. c.* miscet imò etiam de fraudibus vatum. *Pausan. l. c.* Ad demum de suo aëvo *Strabo*, *οὐκ ἔστι τοι πένεσσι τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερόν.* Fraude nimirum ipsa, etiamsi abessent cetera, semet tandem ultro detegente. Conferre hic licet *Ciceronem de Divinatione*, at multò etiam fusius *Plutarchum*. Sed supra utrumque de his egit *Caspar Peucerus* commentario pleno atque ad admirationem docto.

§. XIV.

An verò quæsierit quicquam **PAULLUS**, cum *Livius* & *Plutarchus* taceant, possis tamen scire velle, ac fors non intactum illà superstitione credere Romanum ducem. Nam ne plura referendo lectorem fatigemus, *Appius* & ipse *Romanus*, Prætor tunc *Achajæ*, belli civilis, quod inter *Cæsarem Pompejumque* erat, eventum explorare cupiens, *Antistitem Delphicæ cortinæ, recusantem aliquid, vi imperii in intimam sacrispecus partem cœgit descendere*: ut est apud *Valerium M. l. 8. 10. Lucan Phars. V. 67. ff. & Oros. VI. 15.* At contra *Cato* cum ad *Ammonem* pervenisset, comitesque sui, & *Labiens* maximè, auctores essent *Jovem* consulendi: quod *Lucanus* ait:

Ille DEO plenus, tacitâ quem mente gerebat,

Effudit dignas adytis è pectore voces.

Quid quæri Labiene jubes?

Vide & lege cetera apud *Vatem* ipsum *Phars. IX. 566. ff.* & adde præterea *Senecam* *controv. l. proæm Erratis nisi illam vocem non M. Catonis sed oraculi creditis. Quid enim est oraculum? Nempe voluntas divina hominis voce enuntiata. Et quem tandem Antistitem sanctiorem invenire sibi divinitas potuit, quàm Catonem?* Aut si ne sic quidem *Catonis* rationes liquent: tum vero *Bœclerum* audi, tam nervosè tamque simul clarè totum hoc de sciscitandis oraculis argumentum explicantem, ut unus pene omnia complexus sit, viderique simul possit, dubiæ quam proposuimus *Quæstionis* decisionem ultro nobis suggestisse. Sic autem ait: inter alias peregrinationis curas *Germanicus* etiam *Colophonem* appulit &c. &c. præsto esse poterat.

De Progr. Germa. Cæs. p. 34. s. Probabiliusque jam deinde putamus nihil omninò PAULLUM perscrutatum. Præcipuè quod nulla tunc etiam obscura Reipublicæ fata temporaque: at ipse pro se, qui in seipso omnia reposita habebat, ecquid sodes Pythiam sciscitaretur?

§. XV.

SACRIFICIUM tamen APOLLINIFECISSE memoratum Historico. XLV. 27. Secutus credo in eo generale suum institutum, de quo supra §. VIII. relatum est. Præterquam quod etiam Romani jam inde ab Æneæ temporibus amicum hoc Numen præcipuâ religione coluere. De Æneâ *Homerus & Virgilius* multis locis: deque aliis alii. Ast de Augusto *Svetonius* refert, eum templum huic divo in Palatio suo exstruxisse: *Aug. 29. & cortinas aureas ex argenteis statuis, sibi quondam positis, conflatis dedicasse, c. 52. ampliassetq; & aliam veterem ab Argonautis quondam in Leucadio litore positam Apollinis ædem, c. 18. quod hujus maximè ope Antonium credidit debellatum. Virg. Æn. VIII. 704. ff.* Et probabile est effigiem Apollinis antiquissimam Delphis tunc quoque exstitisse, habitu Juvenis, quo significabatur Solis, (namque is Apollo sive Phœbus fuit) calorem virtutemq; , quæ vitam rebus indit, semper eandem perseverare, neque unquam inveterascere, aut quocunqve pacto retundi. Fingebatur autem flavâ cæsarie, quæ fulgentes Solis radios designat: cumque Lyra in manibus, ut suavissimus concentus notaretur, quem cœli efficiunt, maximum in motu ordinem servantes, cujus ordinis Sol est causa. Cum enim Planetarum medius ipse sit: inde asseriebant Platonici, motus legem ipsis à Sole præscribi, eoque unumquemque tardius celeriusve moveri, prout Sol virtutem contulerit. Ita fere Mythologi. Qui tamen & alias præterea imagines Solis inventas prodidère: scilicet cum arcu & sagittis, & clypeo, quo nostrum hoc hæmisphærium orbiculare, & radios Solis, nimiumque aliquando & noxium ejus æstum, potissimum si tela manu teneret, notatum exponunt: sicut & Gratia, quas alicubi manu dextrâ prætulit, salubritatem, lætitiâ, & mille commoda, quæ calor temperatus affert, fors significavere.

§. XVI.

Verum nos istis omnibus relictis ad PAULLUM revertimur, de

de quo hoc amplius illud etiam *Livius* cum vidisset ait IN VESTIBULO COLUMNAS, (unam Plutarchus, quadratamque & saxo albo coagmentatam commemorat,) QUIBUS IMPOSITURI STATUAS REGIS PERSEI FUERANT, SUIIS STATUIS VICTOR DESTINAVIT. Quod *Plutarchus* apertius, τὰς γὰρ inquit ἡττωμένους τοῖς νικῶσιν ἐξίστασθαι χάριτος περιήκειν, victor victoribus cedere loco æquum esse. in *Æmil.* 270. Quo in speciem comi hilari solutoque dicto lenivit mirificè invidiam, quæ manere illum, quin imò Romanos ex tali facto poterat, quo in mediâ Græciâ, locoque sanctissimo, quid aliud quàm trophæum erexit, quod Græciam privatim, publicè omnes gentes, (fere enim undique conveniebant Delphos) quantum Romani possent admonebat.

§. XVII.

Delphis autem relicta, inde porrò PAULLUS LEBADIAM profectus. *Liv.* XLV. 27. Boetiæ ista urbs erat, sita ad Cephissum fluvium, Cheronææ Plutarchi patriæ, & Orchomeno, ubi Templum Charitum, proxima: cujus cum solum penè totum à talpis everteretur, in Lebadia contra agro talpæ nullæ. *Plin. H. N.* VIII. 83. Et credibile est istam quoque, velut erant reliquæ Græciæ urbes, rebus aliis multis ornatam felicemque fuisse. Sed præ ceteris famosam illam faciebat TROPHONIUS. Quem ex homine, & architecto; de quo constat, & quod dubium est, de fure, vel famelico certè gloriæ, Empedoclique similimo, ubi sive hiatu terræ absorptus, aut suo iudicio damnatus, in subterraneo domicilio finivit, Boetia univetsa inter Deos retulit, cives vero Lebadienses nemus illi atque antrum, tum & ædem & signum, ceteraque persuasionum ejusmodi solennia addidère. Nosque hîc, quia summa modò narranda fuit, *Erasmum* pro nobis allegamus, in immortalis *Chiliadum* opere *Lib.* 7. qui diligentissimè ista cuncta ex *Interprete Aristophanis*, & *Zenodoto*, *Luciano*, *Euripide*, *Herodoto*, *Philostrato*, & dissimulato quancquam nomine ex *Pausaniâ*, ut erat vastissimæ lectionis vir excerpfit. ANTRUM ipsum verò, & ORACULUM, & sciscitantium præparationem totam, tum & descensum, & locum, statumque consulentium, neque minus perceptionem sortis editæ, egressum item, quæque post exitum facienda erant, tam accuratè *Pausanias* ἀυλοπῆς (sic enim ille, γράφω δὲ ἐκ ἀκοῆν, ἀλλὰ ἐτέρως τε ἰδὼν, καὶ αὐτὸς Τροφωνίῳ γενεσάμην) perque partes delineavit. *Libro.* IX, ut frustra futurus sit
qui

qui hic speret contrahere. Quin si cui visum est legat auctorem dicto loco: modo ne invidet eidem, si pro operâ tam operosè sumtâ, quia sic voluit, deceptus est, & operæ pretium non fecit. Nos generosum, ac si plura non datur, Romanum dicimus PAULLUM nostrum, quia OS SPECUS, neque plura VIDISSE contentus, viso etiam obiter Tripho- nii templo atque effigie, statim se ad SACRIFICIUM JOVI HERCY- NÆQUE, QVORUM IBI TEMPLUM EST, faciendum convertit: Quippe illi pridem ex Religionibus Romanis de JOVE constabat, HERCYNAM tunc audivit unam Virginum PROSERPINÆ; cujus cum Matre CERERE numen antiquissimis ceremoniis Romani jam o- lim coluerant. *Pausan.* IX. 312. sqq.

§. XIIX.

PAULLUS verò deinde CHALCIDEM ad spectaculum EURIPI EUBOEÆq; insulæ descendit. Ac sicut *Ascrum* Hesiodi patriam, quæ ta- men fors tangenda erat Delphis ad Lebadiam pergenti, æquo animo tulimus ab Historico suppressam: ita *Leuctra* tamen non possumus, tam proximo Lebadiæ loco posita: quæ verissimæ recordatione gloriæ im- plevit haud dubiè ingentem Ducem, & Epaminondæ seu militiam seu mores censeas planè geminum: nisi in Epaminonda majus illud haben- dum foret, quod ex unis ipse Thebis Lacedæmonios, quàm quod PAUL- LUS vires Romanas secum trahens Persea infregit.

§. XIX.

Sed *Livius* ad naturæ quoddam curiosissimum spectaculum nimi- ùm tunc properans, CHALCIDEM AULIDEMq; huic rei contemplan- dæ idoneam maximè putavit. CHALCIS princeps EUBOEÆ urbs, quam insulam novimus, tam ex proximo Achajæ objacentem, ut ab ea nonnisi angustissimo, vixq; singulis navibus pervio freto, quod V. jugo- rum ponte jungitur, divisa sit. Fretum illud vel *Euripum*, vel cum ad- jectione *Euripum Euboicum*, aut *Chalcidicum* appellant. Tamq; rapi- dum ibi mare est, ut alterno cursu septies die ac septies nocte, fluctibus invicem versis fluens, ventos etiam ac plenis velis navigia frustretur. Ita *Mela*, & ante eum *Plinius* II. 100. *Strabo* IX. *Seneca Herc. Oet.* *Lucanus Ph.* V. 234. seqq. *Livius* XXVIII. 7. alii alibi numeravêre. Et credidit o- mninò ita PAULLUS, quia ita referebant incolæ, & rem obiter nume- ranti, septies utique accedere & recedere mare videbatur. Ceterum, qui post inde, & nostro maximè sæculo, accuratius hoc naturæ inde- prensam

dicto
quia
m, ac
a OS
pho-
CY-
rtit :
abat,
cujus
m o-

preſum hætenus prodigium fluxus & refluxus, cum maris in genere,
tum & hujus Chalcidici Euripi cenſuere, annotarunt, Lunã toties revol-
vente, pro diverſis ejus phaſibus quãdam etiam reciprocatioſis hujus
inæqualitatem inveniri. Cui rei ob oculos ponendæ ſervierit Schema
maximè *Babini E. S. I.* quod apud ipſum vide: & vide præterea *Cæſa-
rem Arconum II. 21.* tum & *Harduinum ad Plinium l. c.* & *Bernb. Vare-
nium Geogr. gener. l. 14.*

§. XX.

PAULLUS autem inde porrò AULIDÈM trajecit trium millium
ſpatio diſtanti: in quã tunc monſtrabatur Dianæ Ædes, & duæ in ea
ex candido marmore Numinis effigies; quarum altera faces præfere-
bat, ac ſimilis altera erat jaculanti. Tum & offendebatur Ara illa, u-
bi Iphigeniam Filiam victimam Pater idem & Rex Regum Agame-
mnon admoverat: cui facinori integram dehinc Tragœdiam *Euripides*
impendit. Supereratq; nunc etiam Platanus, cujus in *Iliade Homerus*
mentionem fecit: nec non, quo loco Agamemnon tabernaculum fixe-
rat. Quæ cuncta inſpexit Peregrinator, at hæſit præcipuè circa con-
templationem PORTUS MILLE QVONDAM NAVIUM CLAS-
SIS AGAMEMNONIÆ capaci. Ita enim rotundè *Livius*: cum cen-
tum & octoginta ſex ſuperfuerint; ſi earum quidem, quæ apud *Home-
rum Iliad. β.* recenſentur numerum incamur. Fuere tamen & alia in
Aulide ſpectanda, quæ vidit & recenſuit *Pausanias Libr. IX. 297. ſeqq.*
nos verò apud illum quàm hîc legi præferimus.

§. XXI.

Inde autem, ait *Livius* OROPUM ATTICÆ ventum eſt, XLV.
27. milliaribus XX. Chalcide diſtanti. Fateturq; *Pausanias*, nihil
illam eã tempeſtate historiã dignum præ ſe tuliffe, l. 33. niſi quæ deinde
ipſe de *Amphiarao, Amphilochoq;* filio narravit: quos *Oropii* primi o-
mnium Græcorum auſi ſunt ex hominibus poſt mortem pro Diis colere;
quod exemplum deinde Græcos reliquos in *Proteſilao, Trophonio a-
liisq;* novimus ſecutos. Sed hic *Amphiaarus* cum filio viſi ſunt rudi
tunc populo hos honores meruiſſe, quoniam dum vixerant ſomniorum
ſolertiſſimi interpretes, illorumq; præterea divinatione traditã, etiam
à funere crediti ſunt de inſtantibus monere. Atque TEMPLUM qui-
dem VETUSTUM docet *Livius* FONTIBUS RIVISQVE CIRCA
AMOENUM. Ex quibus iſte, qui Templo proximus erat, *Amphiarao*

C

facer

sacer, serviebat injiciendis stipibus, si qvi monitu hujus oraculi morbo essent levati. Sic *Pausanias* l. 2. qvi simul & descriptionem Aræ pulcherrimæ quinqvepartitæ suppeditavit, ac demum & modum consulendi retulit. *Lustrantur, inquit, omnes, qui accedunt. Propiaculo res divina est, quam cum Amphiarao ipsi faciunt, tum ceteris, quorum inscripta sunt nomina. Deinde arietem ei immolant, cujus substratâ pelle dormientes nocturna visa expectant, p. 33.* Deq; Amphilocho hoc amplius, fuisse illi, ait, in ipsa urbe apud Athenienses Aram suam: in Ciliciæ verò urbe Mallo, ejusdem etiam Oraculum; quod omnium fuerit, quæ suâ ætate extabant minimè fallax. l. c. Ceterum & Amphiarai Filio alio, Tiburno hunc morem hosq; ritus etiam in Latium illatos, ad illud *Virgili* *Æn. VII. 92. seqq.* Scholiastæ prodidère:

*Hic & tum Pater ipse petens responsa Latinus,
Centum lanigeras matabat ritè bidentes:
Atque horum effultus tergo stratisq; jacebat
Velleribus: subita ex alto vox reddita luco.*

Neque ego tamen crediderim PAULLUM ab Amphilocho responsum petisse. Major animus erat, quàm ut somniis, auspiciis, extis duci posset. Sic enim & *Quintus Fabius Romanus Dux* versum illum *Homeri* retulit ex duodecimâ rhapsodiâ,

ἔς οἰωνὸς ἀριστὸν ἀμύνασθαι περὶ πάτρης,
quem *Cicero* ita convertit, *optimis auspiciis ea geri, quæ pro Reipublicæ salute gerantur: quæ contra Rempublicam fierent, contra auspicia geri. de Divin.* Deq; *Extis Cato*, in illos comprimis, ut solebat acriter invecus, qui ægerrimum Romanæ civitatis statum, qualis tunc erat, cum Respublica REGNUM parturiret, quem in suis moribus & pravâ animi libidine descriptum habebant, in fibris & jecinoribus pecudum rimabantur. Ac denique de somniis *Theocritus*:

ἔστι δ' ἀριστὸν
ἔστι οὐνεργκέρτας, ὁ διδάσκαλός ἔστι παρ' ὧ νῆς,
illum optimum esse somniorum judicem, in quo mens est, quæ ipsum docere possit. *Idyll. XXI.*

§. XXII.

Ast quod memorabile deinde, quodq; PAULLUS quasi caput habuerat peregrinationis Græciæ universæ, ATHENAS venit, illud quod *Hegesias* dixit *θεῶν κλίσμα καὶ περγόνων ἡρώων*, de qua urbe *Strabo* ipse

ipse cum dicturus esset: *Enimverò*, inquit, *in multitudinem incidens eorum, quæ de hac urbe cantantur, in quibus hominum ore versantur, vereor ne si copiosior sim ab instituto suo scriptio aberret.* Libr. IX. Nos *Livium* ideo sequemur, qui *ATHENAS PLENAS QUIDEM ET IPSAS* fuisse *VETUSTATE FAMÆ*, sed *MULTA TAMEN VISENDA HABUISSE* refert. XLV. 27. *Vetustatem istam famæ Curtius* fors explicet, ubi de *Cilicia* refert: *Multa in eâ regione monumenta vulgata carminibus vetustas exederat. Monstrabantur urbium sedes, Lyrnessi & Thebes. Typhonis quoque specus & Corycium nemus, ubi crocum gignitur: ceteraq; in quibus nihil præter famam duraverat.* III. 4. 10. Vel fors etiam *Tacitus*, quo ille loco de *Germanico*, *ardebat*, inquit, *cupidine veteres locos, & famâ celebratos noscendi.* A. II. 54. 2. Ceterum in illa *Atheniensium* vetustate famæ nihil tamen ipsius urbis vetustate vetustius. Namq; si contemnimus etiam, quod se *ἀρχαίωνος & γηγενῆς* dixere, cuius rei *Plato* & *Demosthenes*, quin verò & *Cicero* ipse testes. Sic enim iste: *Hæc urbs, inquit, vetustate ea est, ut ipse ex sese suos cives genuisse dicatur, ut eorum terra parens, altrix, patria dicatur.* in Orat. XXIV. pro *Flacco*; at quam antiqua nomina *CECROPS* qui *Athenas* posuit? *THESEUS* qui perfecit? *SOLO* qui easdem Legibus firmavit? Unde *Nepos* quoque *Athenas* ait *antiquitate omnes præstitisse.* XXV. 3. 3. Quare nec potuit non *PAULLUS* valdè esse erga vetustatem tantam affectus. Quo spectat insignis locus *Plinii*: *Reverere gloriam veterem, & banc ipsam senectutem, quæ in homine venerabilis, in urbibus sancta est. Sit apud te honor antiquitati.* Epist. VIII. 24. Cogita autem deinde, quam & volupe *PAULLO* fuerit audire de *Minervæ* & *Neptuni*, uter nomen urbi imponeret, contentione referentes. Et fortassè adhuc in *Acropoli* olea ostendebatur, quo *Minerva* argumento *Jove* iudice superior evaserat. Monumentum certè ejus certaminis aliud suo ævo, *Triidentem* nempe in saxo incisum, *Pausanias* vidisse testatus est. I. 24. Sed narrabantur multa imprimis de Legibus, Cultu, Artibus hîc inventis primùm, cumq; reliquo mortalium genere communicatis. Enumeratisq; quæ *Athenienses* domesticis victoriis ad *Marathona* atq; *Salaminas* fortiter fecerant, illa quoque quæ externis expeditionibus apud *Æginetas*, inq; *Thraciâ*, & ad *Trojam* acta fuerant, addebant. Tum verò texebant catalogum illustrem Virorum omnis generis laude excellentium: ut erant præter illos, quos jam dixi, *Codrus*, *Miltiades*, *Themistocles*,

cles, Aristides, Cimon, Alcibiades, Thrasybulus, Conon, Iphirates, Cha-
brias, Timotheus, Theramenes, Pericles &c. inq; alia classe Æschylus, So-
phocles, Euripides, Aristophanes, Menander, Socrates, Plato, Xenophon,
Ifocrates, Demosthenes, Æschines, Hyperides, Demades, Thucydides &c.
 ut jam constare posset, nihil præter verum aut *Pindarum*, aut *Thucydi-*
dem, Theopompum, Athenæum, vel quoscunque alios, ipsumq; postremo
Pythium dixisse, cum Athenas *Græciæ Museum, Vestam & Prytanæum*
Græciæ, Græciæq; animam, oculum ac Solem, aut Græciæ Græciam, ac de-
 niqve *λαμπροτάτην πασῶν πόλεων ὅπως ὁ Ζεὺς ἀναφαίνε* appel-
 larunt. Supererantq; adhuc & monstrabantur frequentissimæ quondam
 Doctorum Scholæ, Academia & Lycæum, Platonis, Aristotelis, Xeno-
 cratis, aliaq; Gymnasia: tum & in his atqve alibi pasim, dispositæ ex-
 ornataq; imaginibus Bibliothecæ. Quas non sine curâ *PAULLO*, filioq;
 comiti *SCIPIONI ÆMILIANO* transmissas fuisse, possis inde collige-
 re, quia cum ex omni Macedonicâ gazâ nihil omninò in domum suam
 victor transtulisset, *solam Bibliothecam regiam filio petenti non denegavit.*
Plutarch. Æmil. 270.

§. XXIII.

Sentimus autem simul nos jam sensim in *VIENDA* illa, de quibus
Livius, delatos, usqve adeò *MULTA* profectò, ut qui percensere
 velit,

Lybici velit æquoris idem

Discere, quam multa Zephyro turbentur arena:

Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus,

Nosse quod Ionii veniant ad litora fluctus. Virg. Georg. II. 105. seq.

Seqvemurqve rursus *Livium* manu veluti arreptos, *PAULLUM*
 primùm, nosqve una comites in *ARCEM* deducentem, quam *ἀκρόπο-*
λις, & antiquitus *πόλις* vocavêre. Quæ ex prærupto saxo subjectam
 urbem, quam *ἄσι* vocabant, & vicinam universam, ipsumqve mare, &
 profylea splendida atqve sumtuosa, latè prospectabat. Et quanquam in
 Athenis ipsis, quæ *εὐκτίμενα* quondam dictæ sunt, maxima materia vi-
 dendi: ast eminebat tamen longè triplex ille Piræei portus, consilio
Themistoclis (qui & *muros* ipsos *urbis præcipuo suo periculo restituerat,*
Nep. II. 6. 2.) olim constitutus, (nam Phalerêo portu neqve magno ne-
 que bono Athenienses ante utebantur) quem longi muri *XL. stadiorum,*

tan-

tanquam duo brachia urbi jungebant: ut jam ipsam urbem dignitate æquipararet, utilitate superaret. Nep. II. 6. 1. Neque obstat, quod Thucydides tres istos portus αὐτοφύεις vocavit. Licebat quippe viro non profecto stupido, naturam admonentem promptâ arte sequi. Quod autem Nepos dignitate civitatem æquiparasse, utilitate superasse ait, ejus rei sumenda est ex magnificentia operis ratio. Tanta enim latitudo muri erat, ut duo plaustra lapides comportantia è regione præterirent: neque cæmento intus lutoque expletus, sed constructis coagmentatisque faxis firmatus, ferro plumboque foris continebatur. Nam altitudo absoluta non est, fatis quodam operosioris structuræ: quam plerumque destituunt sumtus, operæ, ac tempus. Utilitas porrò ex ipsa urbis conditione æstimari debet. Quippe mari potissimum hostica vis timebatur, ita ut portu occupato parùm aut nihil esset in oppido præsidii. Huc consilium spectabat Themistocles, quo jubebat Athenienses, si terrâ premerentur, relictis domibus huc confugere, facilius omnia propulsuros. Hæc Boeclero debemus, viro in tantum laudando, in quantum intelligi vera eruditio potest. Qui hic auctores allegat, portum istum pulchrè describentes: Strabonem IX. Pausan. I. Athenæum l. 3. Plin. H. N. IV. 12. Flor. III. 5. 10. Justin. V. 8. 4. PAULLUSq; cum Piræum obiret, spectavit vel imprimis etiam, quod habet Livius NAVALIA MAGNORUM IMPERATORUM. Quos inter Themistocles suo jure principatum tenet. Namque hic primus quod ait Nepos peritissimos belli navalis fecit Athenienses II. 2. 3. hoc est, alterâ illâ civilis potentia manu uti docuit. Id verò Plutarchus, quod non à Philosopho nisi tali expectasses, haud dubiè in pulcherrima formulâ inclusit, cum diceret, Themistoclem totam quasi civitatem deduxisse ad mare. Hic enim opes, hic potentia, hic ut audaci quancquam translatione Cicero belli impetus celeriter navigat. pro L. Man. XII. cum quo conferri & Florus potest. II. 2. 17. Taceo de Venetis, deque Batavis, Britannisque, quorum exempla penè oculis inhaerent. Romani ipsi tum demum maximi in terris imperii spem concipere potuerunt, cum de re navali constituenda seriam adhibuere curam. Intelligentemq; tam insignis magnæ potentia arcani fuisse PAULLUM videre prorsus licet, quia nempe in Aulide, rursusque in Piræo tam sollicitè NAVALIA, hoc est νεώεα, Caesaris Bell. Civ. II. 3. & 4. Virgilio Æn. IV. 593. Ciceronis de Offic. II. 17. hoc est, latina voce, contemplatus est.

§. XXIV.

Venit verò *Livius* deinde ad SIMULACRA DEORUM HOMI-
 NUMQVE OMNI GENERE ET MATERIÆ ET ARTIUM INSI-
 GNIA. Quibus ipse verbis haud dubiè Tempia quoque arasque, & sepul-
 chra, monumentaque omnis generis, ut sunt trophæa, statuae, & quic-
 quid est ejus modi complexus est. Sed numerum nominaque universa
 nemo hic a nobis expectet. Significabimus pauca quædam, prout vel
 insignia, vel reqvirentibus prima occursura sunt, ac vel ingenium fabu-
 lamve aut historiam veterem, aut artem, vel materiam, vel quidvis aliud
 exponent. In Arce ipsâ Minerva eburnea *Phidia*, & ejusdem artificis
 alibi Cybele Deorum Mater. Alibi que Jovis *Milichii*, *Averrunci*, *In-*
nocui, tum & *Appollinis*, *Dianæ Venatricis*, *Veneris*, *Cereris*, idque
 genus templa. Aræ etiam XII. Deorum in foro, Aræ *Musarum*, *Tripto-*
lemi, *Thesei filiorum*, *Androgei Minoris filii*; & ut in pauca confe-
 ram Sepulchrum *Codri*, *Themistoclis*, *Euripidis*, *Erichthonii*, *Aglau-*
ri &c. *Apollinis* & *Jovis consiliarii* imagines in *Curiâ*, *Pisæ*, & *Populi*
Protogenis opus: qui idem in alio Templo *Castorem* & *Pollucem* expref-
 ferat. *Theseus Scironem* in mare abjiciens, *Aurora Cephalum* rapiens
 fictili opere. Heroum veterum statuae pleræque è saxo. Auro & argento
 nullæ tunc, pro ejus ævi parsimonia extabant. *Pindarum* atque *Isocra-*
tem, quod *Athenas* carminibus ille, & alter *Panegyrico* celebraverat,
 dignos etiam statuâ judicaverant. Atque in *ISOCRATIS* quidem in-
 scriptione tria narrabantur præclara vitæ actæ monumenta: primum
PERSEVERANTIÆ, quod cum VIII. & XC. annos vixisset, nunquam
 discipulos habere desuit: alterum *MODESTIÆ*, quod semper fuit à
 publicis curis & negotiis sejunctus: tertium, quod sibi *LIBERTATEM*
 carissimam rerum omnium fuisse declaravit: post acceptam enim de
 pugná ad *Chæronæam* nuncium, præ animi voluntariâ ægritudine
 mortem opetiit. Sed neque *DEMOSTHENEM* exilium suum ab ejus-
 modi honore excluserat. Etsi *Φιλόπατρις* iste illud simul tacitè ad-
 monere quamvis, atque adeo etiam Romanos, qui tunc spectabant, po-
 terat, hominem nimis *Reipublicæ* administrationi deditum, & populi
 aurâ fidentem, haud unquam feliciter diem extremum claudere. Cete-
 rùm eminebant haud dubiè *Cassandri* aliorumque *Macedoniæ* Regum,
 neque minus & *Ptolemæorum* quorundam Regum *Ægypti* imagines.
 Nec dum autem dixi de porticu, quam *Pœcilem* vocabant, non de *Odeo*,
 non

non de Prytaneo, in quo Solonis Leges per scriptæ asservabantur, non de Ceramico, nec dum de Dicasteriis, & omnium præcipuo Areopago deque Foro. In quo tamen præcipuum quoddam in Diis colendis diligentia argumentum extitisse *Pausanias* narrat, quod ibi *Misericordiae ara* extiterit: cujus Numini ait, quod magna habebat in totâ hominum vitâ & casuum varietate momenta, soli ex omnibus Græcis singularem quendam honorem Athenienses habuere. Refertq; porro etiam Pudori, Famæ, Alacritati aras positas. Quæ res porro nos recordari facit etiam alterius *Pausaniæ* loci, quo Aras Athenis extitisse ait Θεῶν ὀνομαζομένων ἀγνώτων. Unde hoc amplius subit, hinc despectatore alio Athenarum urbis, Divo Paulo Apostolo dicere: ni alteri loco istud foret conservandum.

§. XXV.

PAULLUS autem Macedonicus tunc quidem ex Numinibus omnibus soli MINERVÆ SACRIFICIUM FECISSE apud Livium commemoratur. Quam cum constet in Arce, in Piræo, in Parthenone, aliisque urbis partibus, multum inter se diversis nominibus Aræ, Equestris seu Hippia, Hygia, Pœonia, Poliadis, Scyradis, Suniadis, Tithronæ, Victoriæ, hinc inde cultam: PAULLUS noster in Urbe quidem, sed MINERVÆ ARCIS PRÆSIDI victimas obtulit, quod illa una vim omnium nominum complexa, una etiam eademque ubiq; Minerva, parens conservatrixque Urbis Athenarum, pridem etiam in Romanis Numinibus nomen venerationemque tenuerat.

§. XXVI.

Sed tempus jam est relictis Athenis inde porrò CORINTHUM cum Macedonico PAULO concedere. In quam urbem ipse unius diei itinere pervenit. CORINTHUS, inquit, *Florus*, *Achaia caput, Græciæ decus, inter duo maria* (unde ἀμφιθάλασσι bimaris Poëtis dicta) *quasi spectaculo exposita*. II. 16. 1. proximam olim ab Athenis & Lacedæmone, auctoritatem in Græcia obtinuit. Fuitque vel ab ipso *Cicerone pro L. Man. totius Græciæ lumen*, à Scriptoribus aliis peculiaribus titulis *mitis, tranquilla, otiosa* dicta. De pulchritudine Urbis iterum *Cicero Orat. pro Rull. & de N. D.* III. nec non *Strabo IX.* legendi sunt. Eandemque integrum tunc, & ut *Livius* habet, ANTE EXCIDIUM PRÆCLARAM, cum omni suo instructu PAULLUS vidit. Postea autem cum secundis rebus, quæ illam circumfluebant, insanire cœpisset, Legatos
que

que Romanos, quod docet *Florus*, dubium an & manu, certè oratione violasset, *direpta* primùm à L. Mummiò Conf. Rom. ac deinde *tubâ præcinente deleta* est. II. 16. 2. 5. Quod quidem favorabili defensione *Justinus* purgat: *ut hoc nimirum exemplo ceteris civitatibus metus novarum rerum imponeretur.* XXXIV. 2. *Cicero* tamen id factum nollet. Sed credere se ait illos secutos *opportunitatem loci maximè, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari.* *Offic.* I. II. Cum quo & *Strabo* facere videtur, ubi *Corinthum & Messanam ob eandem hanc εὐκαρῆσαν*, hoc est, *multis certaminibus causam præbuisse* asserit. *Libr.* VIII. 249.

§. XXVII.

Et vidit tunc quidem PAULLUS Corinthi instructum omnem: *Templa, Aras, Gymnasia, Theatra, tum & signa, tabulas, donaria, & ingenii artisque monimenta multa, quæ victot post id Romam vexit Pausan.* VII. 121. *Vellejus.* I. 13. 4. Præcipuum autem ipsi spectaculum ARX & ISTHMUS præbuere: ARX INTER OMNIA IN IMMANNEM ALTITUDINEM EDITA. *Jacebat quippe, ut Strabo copiosius descripsit, in monte excelso, cujus perpendiculum trium cum dimidio stadiorum, ascensus XXX. stadiorum est, inque verticem acutum desinit. Monti nomen Acrocorinthus. Ac maximè præceps ea pars est, quæ septentrionem spectat. Sub eâ ad ipsam radicem urbs jacet, in planitie, ejus figuræ, quam mensam vocant.* *Libr.* VIII. 261. Quodque apud *Livium* sequitur Montem SCATUISSE FONTIBUS, id rursus *Strabo* explicat: *In summo vertice fanum habet Veneris: sub ipso autem vertice fons est, candido quod ait Pausanias marmore ornatus, inque eo cellulae excitæ; è quibus tanquam è speluncis in patulum ac subdialem alveum aqua profluit gustatu svaavis.* II. 46. Nec vacat sive de *Pirene Nymphâ*, quæ huic fonti nomen dedit, ex eodem *Pausaniâ*: nec ex *Strabone* de *Pegaso*, dum ad hunc fontem bibit à *Bellerophonte* capto referre. Dum nempe cum PAULLO ad ISTHMUM properamus, DUO MARIA AB OCCASU ET ORTU SOLIS FINITIMA ARCTIS FAUCIBUS DIRIMENTEM. *Liv.* XLV. 28. *Intelligit autem mare Jonium & Ægeum, quibus Isthmus Corinthiacus utrinque alluitur. Verùm latera ejus duobus hinc & inde promontoriis, Cenchreis & Lechæo terminantur. Et utrinque cognomines sunt portus. Lechæus duobus muris tanquam brachiis urbi junctus est, perque sinum Crissæum naves recipit ex Italiâ, Siciliâ, & ab occasu venientes. At Cenchreensis vicum sibi conjunctum habens, ab*

ortu

ortu & Asiâ per Saronicum sinum navibus & negotiationibus colitur. ARCTAS autem FAUCES meritò Historicus dixit, quia in latitudinem non nisi V. M. pass. porriguntur. Quæ res diversis temporibus Demetrium, Julium Cæsarem, Caligulam, Neronem, ac denique Herodem Atticum hominem privatum in spes audaces impulit, posse perfodi terram; infausto tamen, ut omnium tamen potuit exitu, incepto. Tam scilicet difficile est attributam certis rebus naturam humanâ arte superare. Extatque responsum Delphicum Cnidiis quondam datum apud *Herodotum* L. 174.

Ἴσθμόν τε μὴ πηγῶστε, μήδ' ὀρύσσετε

Zeûs γὰρ κ' ἔθηκε νῆσον εἰ κ' ἐβύλετο.

Neque cingite Isthmum moenibus, neque fodite.

Nam si Jovi id visum, locasset in salo.

Quorum postremum cum omitterent Græci, post casum tamen ad Thermopylas Leonidam, ac postero tempore Athenienses, & Emanuel Imperator Byzantinus, quo Peloponnesum ab irruptionibus Turcarum tueretur, Hexamilion illud A. C. 1413. hoc est, passuum VI. M. murum duxere. Refeceruntque denuò Veneti. 1463. sumtu quanquam atque operâ quibuscunq; temporibus in irritum cadente. ISTHMUM autem, ut de hoc absolvamus, exornabant tunc etiam insignia illic opera, Theatrum & Stadium è candido lapide. Quâ ad Neptuni fanum aditus, una in parte Athletarum positæ erant statuæ, qui victores in ludis Isthmicis renunciati fuerant. Qui Ludi, quod memorabile est, ne excisâ quidem urbe intermissi sunt: sed etiam in ipsa urbis vastitate, ut eos faciundos curarent, datum negotium fuit Sicyoniis. Donec restitutâ à Julio Cæsare Corintho, ad novos inquilinos pristinus honor rediit. *Pausan.* II. 40.

§. XXVIII.

PAULLUS autem inde SICYONEM & ARGOS adiit, quam utramque NOBILEM URBEM Historicus appellat. XLV. 28. SICYON, quæ & Ægialus, sita in colle munito, inter Corinthum XII. & Elidem in Africum LXXV. M. pass. studiis moribusq; cum Corintho iisdem, sedes fuit Regni in omni gentilium memoriâ antiquissimi: Regum successio ab Ægialeo, ab Anno Mundi 1902. per XXV. deinde Reges ad Zeuxippum, seu A. M. 2832. pertexitur: cum quo Sicyonios Reges defecisse tradunt. Et fuere post Heraclidæ. Tyranniq; tandem per annos quin-

D

quagin-

quaginta. Donec Aratus comparatâ Exulum & Argivorum conducti-
 tiorum militum manu, profectus Argis, clandestino introitu urbe poti-
 tus est. Cumq; Tyrannum Nicoclem improvisò oppressisset, ac statim
 etiam disfidiorum & controversiarum causas concordia constituta su-
 stulisset, tandem civitatis liberam administrationem Sicyoniis tradidit.
 Prolixius aliquantò hæc *Pausanias* II. 51. sed præcipuè *Cicero* exsecutus
 est, de *Off.* II. 23. qui sic finit postremò: *O virum magnum, dignumq; qui*
in nostra Republica natus esset. Sic par est agere cum civibus: non, ut bis
jam vidimus, hastam in foro ponere, & bona civium voci subicere præco-
nis. Ac fortassè etiam *PAULLUS*, quâ erat naturâ, simul cum memo-
 riâ cineres quoque tanti viri veneratus fuit. Extabat enim Aratèum
 monumentum. *Pausan.* II. 52. Qui idem Auctor notat, Sicyonios di-
 verso à ceteris Græcis ritu cadavera suorum condidisse. *Corpus, inquit,*
terra contegunt: deinde lapideâ basi extructâ columnas erigunt, quibus
fastigia, vel ceu Græci vocant, aquilas imponunt, eâdem prope specie, quâ
sunt Templorum culmina. Inscribunt verò sepulchris planè nihil: sed ejus
quem extulerunt nomen appellantes, Patris mentione prætermittâ, valere
jubent. II. 50. Quæ ipsa videre atque arbitrari, tam profectò curiosita-
 tis *PAULLI* interfuit, quàm Gymnasia, aut quodcunqve aliud urbis o-
 pus inspicere. Quæ multa de cetero & admiranda illic, priusquam
 motu convolverentur extitisse, *Pausanias* testis est II. 50.

§. XXIX.

Post ergò cum *ARGOS* venit, secutus est animo claritudinem ur-
 bis, quæ tanta olim fuit, ut Peloponnesum, quin totam Græciam *Ho-*
merus Argos dixerit: citatq; loca & demonstrat *Strabo* VIII. 255. De
 antiquitate certè Deorumq; muneribus cum Athenis certavit; non ali-
 ter quam cum Phrygibus Ægyptii. *Paus.* I. 13. Memoratq; rursus *Pau-*
sanias, heroicis temporibus, (quæ pro vetustissimis Historici ponunt.)
Argos potens atque opulentum fuisse. VII. 222. Longumq; foret de re-
 bus gestis dicere: ac nos potius quæ visenda tunc *PAULLUS* Argis ha-
 buit, exponimus. Reclusum illi quippe haud dubiè fuit templum *A-*
pollinis Lycii, quod Danaus Rex cum signo Numinis ligneo, (ut erant
tunc temporis omnia è ligno, & imprimis quæ Ægyptii fecère *Pausan.*
II. 61.) dedicaverat, multò tunc nobilissimum. Et asservabatur ibi præ-
 terea Danaï Regis solium: unde haud longè ignem cives accendebant,
Phoronæ ignem appellantes. Neque enim iis assentiebantur, qui tradi-
 tum

tum à Promotheo ignem hominibus dicunt: cùm totum ignis inventum ad Phoronæum Inachi Filium referant. *Pausan.* II. 61. Sed inter templa effigiesq; plurimas, Jovis deinde Nemei, & Junonis Argivæ, tutelarium urbis Deorum eminebant. Multaq; hinc inde quoque Lysippi, Praxitelis, Polycleti aliorumq; Artificum præclara opera cernebantur: tum & sepulchra Lini, Phoronæi, Inachi filii (cui sua adhuc ætate parentatum refert *Pausanias* II. 62.) Danai, aliorum: nec non *πολυάνδρεια*, hoc est, honorarii tumuli eorum, qui sive ad Trojam, sive aliis bellis perierant. Visuq; inprimis dignum erat monumentum Pyrrhi Epirotarum Regis apud se, quodq; penè indignum, à foemina occisi. Verùm tu farraginem integram apud *Pausaniam* II. 61. & sequentibus, si vacat & volupe est, perspecta.

§. XXX.

Peregrinator autem noster inde porrò *EPIDAUURUM* concessit, *HAUD SANE OPIBUS*, ut ait, *PAREM, SED INCLYTUM ÆSCULAPII NOBILI TEMPLO.* XLV. 28. Sita erat *EPIDAUURUS* in intimo sinus Saronici secessu, æstivo ortui opposita, atque ad mare usq; mœnibus inclusa, ut naturâ loci undiqve probè muniretur. Verùm in ipsa urbe, si Dianæ lucum, & Liberi Patris, Veneris, Junonisq; Tempa, inq; Arce Minervæ imaginem ligneam, valdè illam quidem insignem, Cissæam Minervam nominant, excipias, nihil memorabile. Ast priusquam Epidaurum veniret, V. millium spatium ante urbem occurrebat Æsculapius, dictus inde Epidaurius, *Ovid. Pont.* l. 4. quod Epidauri, quibuscunqve demum Parentibus, nam diversimodè narratur, editus, omninoq; ejus cultus ab Epidauriis acceptus esset. Colebatur autem Templo atque luco, intra cujus ambitum mori quævis aut nasci religio erat: scilicet eodem ritu, qui & in Delo servabatur. In templo simulacrum extabat auro & ebore perfectum, opus Thrasymedis Arignoti filii Parii hominis. Sedebat autem turbatus senex, & laureatus in folio, scipionem nodosum tenens, alteraq; manu draconis caput premebat, cane ad pedes decumbente. In folio Argivi heroës, Bellerophon Chimæram conficiens, & Perseus Medusæ caput tenens, insculpti. Templum autem intus dives donis, quæ remediorum salutarium ægri mercedem Deo sacraverant. Ast supra Templum ædes erant, in quibus qui precatum venerant, dormiebant. In propinquo aliud ædificium dignum visu. Pilæ verò intra ambitum multæ, in quibus virorum & fæminarum, quibus

bus Æsculapius opem tulerat, morborumq; etiam nomina, cum curatio-
nis ratione. Visebatur ibi draconum quoddam genus, nusquam alibi
reperitum, colore fulvo, hominibus mansuetum, & Æsculapio sacrum.
Inq; ipso fano, theatrum, arte, symmetriâ, pulchritudine, dignitate,
præstantissimum, Polycleti opus. Ac præterea Dianæ ædes, Veneris,
Themidisq; cellæ, & aquæductus, cum testitudine, tum reliquo opere
ita exornatus, ut cum admiratione spectaretur. Quæ nos cuncta *Pausa-
nia* debemus. II.69. Pronumq; foret conferre isto loco etiam alias Æscu-
lapii imagines, vel Auximi in Piceno agro, aut apud Phliasios, Sicyo-
niosve, (sunt hi in Peloponneso) repertas: ubi omnes imberbes, ac
modò sceptrum dextrâ, sinistrâ verò domesticæ pinus pomum tenebant:
nunc sinistrâ manu in amiculi laciniâ fructus diversos, dextrâ autem
duos gallos gallinaceos tenebant. Quorum omnium hæc interpretatio
traditur, *divinam esse artem Medicinam, indeq; Æsculapium Apolline seu
Phæbo, hoc est, sole ortum: Per barbam verò annos sive experientiam Me-
dici notari; vigoremq; indomitum si juvenes signentur: scipionem nodo-
sum difficultatem artis dicere: canes, gallos, draconemq; vigilantiam: lau-
ream, pinum, fructus, quod plura inde remedia petantur.* Sic Mythologi.

§. XXXI.

Sed nos his omnibus misis, illud prosequimur, quod *Livius* porrò
addit: NUNC (suâ nempe ætate) VESTIGIIS REVULSORUM DO-
NORUM, TUM (PAULLO visente) DONIS DIVES TEMPLUM
ÆSCULAPII fuisse. Hoc verò damnum quo auctore, quoque casu, tem-
poreve illatum sit, quoniam Scriptorem Romanum pudit, *Plutarchus*
homo Græcus pro eo planissimè narravit: scilicet L. Cornelium Syl-
lam, cum Athenas oppugnaret, quæ à Præfecto Regis Mithridatis tene-
bantur, cum ingentem pecuniam bellum postularet, sacros Græciæ the-
sauros movisse, atque hinc EPIDAURO, hinc OLYMPIA deferri ad se
jussisse pulcherrima ac pretiosa dona: etiam DELPHOS scripsisse, rectè
facturos ipsos si ad se misissent Apollinis thesauros: indeq; cum dissva-
suri quidam renuntiassent sonum citharæ ex adyto auditum, Syllam ir-
ridentem rescripsisse, mirari se, qui non intelligerent gaudentis esse
non indignantis cantum. Sic *Plutarchus in vita Syllæ* 459. Qui simul
addit, custodes templi Amphictyonas, cum dolium argenteum, quod
jumenta ob molem ac pondus ferre non valebant, concidere coacti es-
sent, repetisse memoriâ cum T. Quintio Flaminio, & M. Attilio, etiam
hunc

hunc nostrum PAULLUM ÆMILIUM: quorum ille Antiochum Græcia exegerat, reliqui devicerant Macedonum Reges, nec solum à templis Græciæ temperaverant, sed & dona ac venerationem illis ac religionem addiderant magnam. Explicat autem & causas tam disparium utrinque factorum, observatione planè pragmaticâ: quam hîc adscribere-mus, fortè totam, ni jampridem LACEDÆMON PAULLUM expectaret, quò is Epidauro ivit.

§. XXXII.

Huic urbi OPERUM MAGNIFICENTIAM ultrò Auctor abjudicat. Causa rei mos adstrictus civitatis, tantumq; non durus, aut si mollius diceres severus ac parcus: quem naturâ ingenitum, Legibus præterea atque institutis Lycurgus horrificaverat. Ac sciendum hîc semel SPARTAM ac LACEDÆMONEM idem dicere. *Strabo X. 307.* De Regibus antiquissimis *Pausaniam* lege III. 81. qui continuavere, ne quid amplius dicam, per Menelaum, illum tam cum omnibus, tum vel imprimis auctori summo Homero dictum, ad Aristodemum: post quem duo semper Reges ex duabus familiis *Proclis atq; Eurysthenis*, quâ de re & *Nepos* noster XVII. 1. 2. Sed nos de his omnibus *Aristotelem Polit. II. 4. 7. 10. & IV. 9. Xenophontem de Ages. Rege. Polybium VI. & omnia prope modum ex omnibus excerpentē Cragium de Republ. Laconum*: quem nos legi malimus. Atque ex *Nepote* id solum notamus, *Agesilai Regis domum nullâ in re à cujusvis inopis atque privati domo dissensisse: quoniam nullum ibi luxuriæ, nullum signum libidinis, nihil etiam in victu, nihil in vestitu, nisi ex more veterum Laconum XVII. 4. 3. f.* Quin & frugalitas & integritas civium universorum præ ceteris Græciæ civitatibus tanta fuit, ut qui castigatè viverent, vivere Laconicè ferrentur. Cimon quidem, quoties aliquid in suorum Atheniensium moribus reprehendisset, addidit, *ἀλλ' ἔλακεδαμόνισί γε τοῖσ'τοι.* Et Charillus interroganti, cur Lycurgus tam paucas Leges prodidisset? quoniam inquit pauciloqvis non est opus multis Legibus: notans obiter Athenienses, quorum loqvacitati nullæ Leges suffecere. Sunt enim hæc cognata, ferè, pauca loqui, & probum esse virum. Ubi tamen *λακωνίζειν & λακωνισμός*, ne quid erres, non est hoc, quod arbitraris, paucas syllabas vel scribere, vel fari, sed de rebus plurimis paucas. Qualem eloquentiam Menelao, & ipsi certè Spartano, Homerus tribuit, cum ait:

παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λογιέως,

D 3

pauca

pauca quidem, verum argutissimè dixisse. Il. γ. 214. Ac supersedemus
deinde allegare, quoniam omninò ad Livii illa verba, *SED DISCI-
PLINA INSTITUTIS QVE MEMORABILEM.* XLV. 28. pro com-
mentario futura sint, sive ex Platone: *ut orbem Hercules obivit unâ pelle
præcinctus, ac unâ communitus clavâ: sed & Spartanos ab unâ scythalâ, &
frugi veste atque vili, Græciæ volenti imperasse, ac ne moto quidem scuto ty-
rannicos spiritus retudisse sæpè:* seu de Lycurgi laboribus, ex Cicerone,
quibus erudiebantur Lacedæmoniorum pueri, venando, currendo, esu-
riendo, sitiendo, algendo, æstuando: vel ex Quintiliano, minùs Lace-
dæmone studia literarum, quam Athenis honoris merebantur, plus pa-
tientia & fortitudo: aut ex Plutarcho, ubi ait, Spartanorum moris fu-
isse Literas modò pro necessitate discere, reliquarum verò disciplina-
rum nihil omninò admittere, nec homines magis quam libros. Erat
autem illa ipsa disciplina, ut honestè obtemperarent, labores constan-
tissimè perferrent, pugnandoq; aut vincerent, aut interirent. Ob quod
cum Athenis Rhetorum quispiam imperitiam Lacedæmoniis objecis-
set, respondit Pausaniæ filius Plistonax, rectè dicis, soli namq; Græco-
rum nihil mali à vobis didicimus. Sive denique ex Seneca: Omnibus
sua decora sunt Athenæ eloquentiâ inclytæ habebantur, Thebæ sacris,
Sparta armis. Ideò Eurotas amnis hanc circumfluit, qui pueritiam ad
futuræ militiæ patientiam indurat. Hoc solum modò præterire fas haud
esto, quod post pugnam Leuctricam, accepta tam insigni clade, ubi su-
us cuique calamitatis nuntius advenit: tum sanè quorum propinqui in
prælio fuere cæsi, hi in publicum se proripuere læti, nitidiores, hilares,
aut quod æquè magnum est hilaribus similes: quibus verò superstites e-
rant necessarii, hi ultra fidem tristes, aut clausi domibus, aut intueri ne-
minem valentes, ac tantum non in urbe sua exules, & extra semet positi
fuere. Sicut autem Pausanias IV. 136. verissimè indicavit, Lacedæmo-
nios *debitâ jam pridem fatis clade sic afflictos; quod & Aristodemo Regi
Delphicæ olim sortes responderant: ἐξὸς ὅππῃ τὸ γέγων' ἀτῆ δ' ἀλλοίσι
παρ' ἄλλων, Utere sorte tuâ, fatum hos nunc, nunc agit illos.* Ita pro so-
latio urbi esse potuit, tamdiu hanc disciplinâ, quod Livius ait, hisq; insti-
tutis floruisse. Fuit, inquit, Cicero, *hæc gens fortis, dum Lycurgi leges vi-
gebant.* Tusc. I. 42. & cap. seq. *Magnam habet vim Reipublicæ disciplina.*
Ac sanè magnam. Nimum ad decus, & robur, & ut homines loqui a-
mant, de paullo serius perituris, *ÆTERNITATEM* imperii statusqve.
Tem-

Tempus autem harum Legum pariter & illius floris, de quo *Vellejus I. 6.* seu celebritatis, ut habet *Livius XXXVIII. 34. 35.* si antiquissimorum codicum lectione standum sit, *octingentorum annorum* fuit; quod tamen alii ad DCC. quidam etiam ad D. annos restringunt. De qua temporum differentiâ vide sis *Nic. Cragium de Republ. Lac. I. 4.* Quamquam quid etiam in his institutis viri prudentes desideraverint, ex *Aristotele Polit. II. 7. Polyb. Hist. VI. & Cicerone Off. I. 19.* non opinor est ignotum.

§. XXXIII.

Atq; tunc quidem cum PAULLUS urbem spectaret, jam tum Lacedæmon terræ motu, & servili bello concussa, *Pausan. I. 28.* submerserat caput, *VII. 213.* & attrita, *ibid. 222.* captaq; demum, & Legibus privata erat. *VIII. 279.* Ac vide hîc imprimis *Strabonem VIII. 252.* Supererant tamen haud dubiè templa Numinum, quorum præcipua invisit. Viditq; præterea Martis, & Dianæ Orthiæ effigies, ac Forum, in quo Curia, & in illa conventus Seniorum. Vidit omninò etiam Ephorum Basilicas, & in Platanone Juniorum ludos; tum omnium nobilissimum opus porticum Persicam. Et contemplatus est Heroum monumenta, sepulchrum fors etiam Pausaniæ, & Leonidæ, & quantum vel libuit, vel vacavit. Catalogum autem spectandorum Spartæ *Pausanias* texuit. *III. 92. sqq.*

§. XXXIV.

Cum autem OLYMPIAM iter destinasset, per MEGALOPOLIM illi XL. M. pass. Lacedæmone distantem, incedendum fuit. Fuitq; urbs olim Arcadiæ præcipua, in mediotulio Peloponnesi, ad Alphéum flumen, Eamq; non Arcadiæ modò, sed omnium Græciæ suo ævo recentissimam *Pausanias* appellat. Quippe ab Epaminondâ statim post victoriam Leuctricam deductam esse constabat, *VIII. 258.* undè nulla credo hîc materia morandi. Sic enim ut in arboribus

Tarda venit seris factura nepotibus umbram:

ita urbes ait Seneca, constituit ætas. Petitq; deinde & à naturâ ipsâ, quæ ad originem rerum parçè utitur viribus, & ab homine exemplum: *quàm longo, inqviens, tempore opus est, ut conceptus ad puerperium perducatur infans? quantis laboribus tener educitur? quàm diligenti nutrimento obnoxium novissimè corpus adolescit?* *Quest. nat. III.* Sed ad gloriam tamen satis sit, Megalopolin civem POLYBIUM protulisse. Quem haud multò disparem ætate, & ingenio, literis, scientiaq; rei militaris insignem

gnem jam tunc, fortassè etiam in illo urbis transitu SCIPIO, Paulli filius vidit, æstimavit, comitem legit, ac mox socium adiutoremq; gravissimorum bellorum operumq; habuit. Vid. *Vellej. I. 13. 3. Ammian. XXIV. 7.* Hic ille POLYBIUS est, qui Græcorum & Romanorum historias libris XL. de quibus XVII. hodiè supersunt, complexus, cum ingenio & prudentiâ excellentissimum quemque Scriptorum æquasset: singulari & unico sibi politicæ informationis disciplinæq; instituto, omnium inter Græcos industriam longè demum superavit. Vid. *Casaub. præf. ad Polyb. Voss. de Hist. Græc. I. 19. & Bœcl. ad Vell. l. c.*

§. XXXV.

OLYMPIAM autem cum ascendisset, quæ Lacedæmone LXXXII. M. pass. aberat, PAULO rursus & multa & maxima SPECTANDA obvenerè. Urbs ipsa Elidis caput: neque ita longè Alphæus fluvius Peloponnesi notissimus & maximus, *Seneca* sacer dictus, *Med. 121.* eò quod illius aquâ Jovis Olympii statua aspergebatur, & sacrificiorum cineres abluebantur. *Pausan. V. 161.* Quicquid autem præterea de eo commenti sunt Græci, ut est apud *Virgilium Æn. III. 694. sqq. Ovidium Metam. V. 8. Plinium H. N. II. 3. Senecam Qu. Nat. III. 26.* id licet vel ipse Pythius confirmasse visus sit, ubi Archiam Corinthium, ad Syracusas coloniam deducendam proficisci jubens, sic affatur:

*Trinacrium supra medio jacet insula ponto,
Ortygiam dixere, ubi cana fluenta refundit
Alphæus, pulchræ sese immiscens Arethuse,*

Strabo tamen allatis in medium rationibus confutat, quem omninò lege. V. 187.

§. XXXVI.

OLYMPIA verò illustris primùm facta est oraculis, quæ ibi Olympius Jupiter edebat. Quæ quidem deinde desière. Ast aliunde illi fama sua nihilo etiam constitit feciùs. Nimirum quod apud eam quarto quoque anno solennis Græciæ conventus, & Olympicum certamen erat, quod sacrum apud universos, & omnium maximum est habitum. Templi ipsius Dorica structura. Per ambitum exteriorè dispositæ in orbem columnæ, parietes ex domestico lapide, altitudo pedum VIII. & LX. latitudo XCV. longitudo CCXXX. tectum non ex coctili tegulâ, sed cæso ad tegulæ formam marmore. In extremis tecti finibus inaurati lebetes, in medio fastigii apice inaurata victoria, infraq; victoriam aureus

aureus clypeus cum capite Medusæ. Foris appensi clypei deaurati XXI. numero, quos Mummius Romanus dedicaverat. At intus ingens undique copia signorum; quorum catalogum texit *Pausanias V. 157.* Nos autem ad simulacrum Jovis properamus; quo conspecto PAULLUS, velut JOVEM PRÆSENTEM INTUENS, MOTUS ANIMO EST. Ita *Livius* habet XLV. 28. Sed apud *Plutarchum* & hoc dixisse Paullus fertur, *Phidiam Homeri Jovem effinxisse, in Æmil. 270.* Ac fanè memoriæ proditum est, inquit *Strabo, Phidiam à Pandamo interrogatum, quodnam exemplar imitari in imagine Jovis exprimendâ statuisset? respondisse, id quod Homericis his versibus esset propositum, qui extant Iliad. a. 528.* quorum ita est sententia:

Dixit, caruleisq; superciliis superum Rex

Annuit, ambrosiosq; aeterno in vertice crines

Concusit, nutuq; alnum tremefecit Olympum.

Videntur enim hæc admodum præclare dicta, maximè quod ad supercilia attinet: quibus intellectum nostrum Poëta admonet, ubi sibi imaginetur magnam quandam speciem magnamq; vim Jovis: sicut & de Junone fecit, utrobique tamen servato decoro. Ait enim,

Movit se in solio, & longum concusit Olympum.

*Nam quod sui totius motu Juno effecit, id ipsum ponitur Jupiter consecutus solo superciliorum motu, cesarie etiam istam affectionem imitante. Unde porrò perscitè dignum de Homero addit, solum hunc Poëtam Deorum formas aut vidisse, aut ostendisse. Libr. VIII. 244. Quæ descripsisse isto loco usque adeò non piguit, ut bona potius cum veniâ Lectoris facturus videar, si in argumento potissimùm tam antiquitùs celebrato indulgentiam aliquantùm excerpti calamo; quem alioqvi in totâ ipsâ PEREGRINATIONE PAULLI multùm temperavi. Sic autem *Pausanias: Sed & in solio DELS ex auro & ebore factus. Corona capiti imposita est ad oleagine frondis imaginem. Dextrâ Victoriâ & ipsam ex ebore & auro præfert, cum taniâ & coronâ. Levâ sceptrum tenet affabrè expolitum, & omnium metallorum varietate distinctum. Quæ avis sceptro incumbit, aquila est. Aurei sunt DEO calcei, pallium item aureum. In eo cum diversa animalia, tum ex omnium florum generibus lilia imprimis calata sunt. Solium ipsum auro & pretiosis fulget lapidibus: neque in eo vel eburnum, vel ebur desideratur: animalium verò formis intercurrente picturâ exornatur. Signa verò etiam in eo eminent, quæ multa deinde & suis sin-**

E

gula

gula nominibus, distincta expressaq; sunt. V. 157. f. Ceterum & Strabonis verba ista hinc addenda sunt tota: Ornatum est Templum donariis ex universa Græciâ ibi dedicatis. Inter hæc est etiam Jupiter ex auro ductus, donum Cypseli Corinthiorum tyranni. Maximum verò in his fuit eburnum Jovis simulacrum, quod Phidias Charmini Filius Atheniensis fecit tantæ magnitudinis, ut quanquam templum est maximum, tamen videatur bonam proportionis rationem duxisse, quod sedentem finxit, ita ut vertice culmen propemodum tangat, & ex ipsa specie appareat, cum si surgeret, se erigeret, tecto templum nudaturum esse. Lib. VIII. 244. ITA QUÆ, pergit Livius, HAUD SECUS QUAM SI IN CAPITOLIO IMMOLATURUS ESSET, SACRIFICIUM AMPLIUS SOLITO APPARARI JUSSIT. XLV. 28. De pompâ victimisq; PAULLI priusquam dicamus, juvat etiam Aræ Olympicæ descriptionem ex Pausaniâ hoc loco attexere. Congesta est, inquit, è cinere collecto, ex adustis victimarum femoribus. Ima crepido ambitum habet pedum CXXV. quousque bovia ducuntur & maculantur. Femora in summâ Arâ adolent, cujus altitudo tota pedum XXII. ad ejus verò altissimam sedem primum per lapideos, ac dein cinereos gradus ascenditur. Præterea ex alba modò populo, neque ex aliâ arbore ad usum Olympicorum ligna cædi, jam inde ex Herculis instituto patrius Eleis ritus. V. 160. f. Expresit autem in ceteris haud dubiè illos mores PAULLUS, quos Romani Imperatores post triumphos ductos in sacris servabant. Ubi post tibicines, qui modos triumphales faciebant, ibant boves albi cornibus deauratis, vittis ac fertis revincti ad sacrificium; dextrâ autem levaq; Popæ succincti aureas argenteasq; pateras præferebant. De numero victimarum nihil certi. Cæsarum aliqui post hæc tempora centenos boves, oves, sues, sed & aquilas totidem feriisse cognoscuntur. Quod si verò illud à moderatione præsentis tunc ævi, àq; PAULLO imprimis alienum credimus! at plus hinc solito fecisse annotatum est. Ipseq; quin adeò temperatissimi moris Marcus Imperator, usque eò tamen in cultum Deorum indulgens fuit, ut in illum jactatum aliquando sit sanè perjocosum: οἱ λευκοὶ βόες Μάρκῳ Καίσαρι, hoc est, Candidi boves Marco Casari. Si tu viceris, nos perimus.

§. XXXVII.

Interea autem dum sacra fiunt, PAULLUS extra controversiam Olympio Jovi, quod & Romæ in Capitolio mox facturus erat, pro Victoria,

etoria, (nec enim majus Numen erat) gratias devotè egit ; credoqve jam etiam tunc in mente atqve præfagio illud habuit, quod mox Romæ publicè in Foro professus est, *sibi quoq; ipsi nimiam jam fortunam suam, eoque suspectam videri : cumq; nihil jam esset, quod precetur, quoniam ex summo retro volui fortuna confvesset, illud se optare, ut mutationem ejus sua domus potius quàm Respublica sentiret.* Ita Livius XLV. 41. aureè ex aurea mente, cui id unum modò defuit, quod non alterum **PAULLUM TARSENSEM**, (de quo infra aliquid) audire ac intelligere datum est. Sed confer cum his si vacat *Val. Max. V. 10. 2. & Vellej. I. 10.* ac *Senecanæ declam. IV.* sed cum primis *Plutarchum* semper nostrum, semper eximium, & omninò verissimum omnigenæ eruditionis penum. *in Æmil. 274.*

§. XXXIX.

Nobis verò prospicienda demum cum **PAULLO** Olympia est, ubi Aræ multiplices, *Pausan. V. 161. f.* & sacrificia diversi generis, 163. & donaria 168. & thesauri 169. recensentur ab Auctore summo studio : prout ipse quoqve meros thesauros eruditionis prodidit suis scriptis, ac multa recondita, multa scitu pulchra nobis dedit, quæ maximam toti Historiæ Græcorum lucem adferunt.

§. XL.

Venimus autem nunc ad **OLYMPIA**, id est, **LUDOS OLYMPICOS**, quorum si schema integrum spectare per tempus (nam mense Junio) neq; nisi statis annis celebrabantur, non potuit : at auctorem & origines quæsit, at antiquissimas leges atq; discrimina, & materiam atq; argumentumq; universum fecit sibi enarrari, judicavitq; de labore, deq; præmiis, & Præsides Ludorum, illorumq; juramentum, tum & juramentum Athletarum relegit, inspexitqve Athletarum habitacula, ac non improbat, si quæ vel abrogata quædam in his ludis, vel fraus luctantium punita, sive etiam fæminæ ab his spectandis prohibitæ fuissent : tum & recensuit Olympionicarum nomina involumen certum relata, & species ut breviter dicam pugnarum omnes, & diversam quoqve gloriam notavit. De quibus iterum ita distinctè, & tam fideliter *Pausanias* Lib. V. 154. ad 199. perscripsit, ut quem in his illi similem, aut nuper, ac vel in antiquis dicam, si Petrum Gassendum in vita Peiresci, tum & Gassendo simillimos eximiam, neminem sim reperturus.

§. XLI.

Et nos cuncta illa quidem & generosa, & fortia, & prudentia, sci-

tuq; non modò dignissima, sed & jucunda cumprimis, & quibuscunqve narrationibus aiiiis anteponeuda credimus: nisi quod neqve omnia capit hic scripturæ modus, nec solæ nobis etiam non dictæ OLYMPIADES linqvendæ sunt. Sic enim appellabant Græci quaslibet quadriennes periodos ὀλυμπιάδας, quarum singulas ab ordine denominabant, & in quatuor annos Solennitatem Olympicam sequentes distinguebant, ita ut quicquid factum esset, illud primo, secundo, tertio, vel quarto anno hujus vel illius Olympiadis celebratæ, factum esse diceretur. Atq; hoc illud est, quod *Plinius Delubrum Jovis Olympii in Elyde Ludorum celebritate FASTOS GRÆCIÆ complexum* ait H. N. IV. 5. Namqve usque ad Olympiadas, quod apud Eusebium *Africanus Lib. III. Annalium* fatetur, nihil exploratum in Historiâ Græcorum invenitur, sed omnia confusis temporibus perscripta sunt. Consentitq; & *Varro*, cum tria inducit temporum discrimina, ἀδελον, μυθικόν, ιστορικόν, quod postremum à primâ Olympiade; sed nempe Iphiteâ (nam ante Iphitum nondum ita memoraverant) cœpisse, perq; sequens tempus certum Historici computum præbuisse docet, apud *Censorinum de die natali XXI.* Quod si verò *Plinius* rectè illum beatissimum aestimavit, qui bonæ mansuetudinis fama præsumptione perfruitur, certusq; posteritatis cum futurâ gloria vivit. *Epist. IX. 3.* Vel, ut alibi ait: *Si omnes illi, qui magnum aliquid memorandumq; fecere, non modò veniâ, verùm etiam laude dignissimi judicandi sunt, si immortalitatem, quam meruere, sectantur, victurique nominis famam supremis etiam titulis prorogare nituntur. Ep. IX. 19.* sicut & ipse *Plinius Taciti* potissimùm Historiis cupit inseri, quas immortales futuras animo augurabatur: *Ep. VII. 33.* Quis dubitet deinde *PAULLUM*, dum de his audit, commotum mente, gavisumqve, quod etiam sua facta, victusq; ac triumphatus *Perseus*, Regnum Macedoniae sub jugum missum, tum & *PEREGRINATIO* ista ipsa, quam universa Græcia, & præcipuè Olympiorum urbs honori ducebat, certâ ac non fallente temporis notâ, seræ deinde perpetuæq; Orbis terrarum memoriae Per Olympiadis centesimæ & quinquagesimæ tertiæ annum primum, qui cum Anno Urbis conditæ DLXXXVI. & Anno ante Epoch. Christi 168. coincidit, posset consecrari. Vid. *Ricciol. in Chronol. Reformata Libr. II. de connexione Epocharum p. 108. & Lib. IV. p. 175.*

§. XLII.

Videbat autem simul *PAULLUS* curiasitati suæ, finibusq; ceteris in

in peregrinandâ Græciâ ita esse satisfacturum. Unde lætus & alacer, speciesq; pulcherrimas tam insignium & rerum & locorum mente perfe-rens, quicquid in reditu terrarum per DEMETRIADEM & APOLLONIAM, nam has solas Auctor nominat, traſeundum fuit, quàm potuit, celerrimè confecit. Erat aliquando DEMETRIAS Regum Macedoniæ ſedes, & navale. Interq; compedes Græciæ urbem iſtam duxerant cum ceteri, tum Auctor maximè Demetrius cognomento Poliorcetes, Antigoni Filius, maximæq; quondam toto Oriente famæ, APOLLONIA autem hoc loco non Epiri, ſed Macedonica innuitur: à quâ porrò ad AMPHIPOLIM unius diei itererat. Huc enim ſe recepit deniq; cum X. illis, qui Româ interim advenerant Populi Romani Legatis: eoq;ve etiam adesse denos principes Macedoniæ Civitatum, literasq; omnes, quæ ubiq; depositæ eſſent, & pecuniam regiam deferri juſſerat. Liv. XLV. 29.

§. XLIII.

Sed priusquam illum Auctor planè è Græcia educit: illud quoque tanquam ſingulare atq; PAULLO in primis dignum notat, quod itinere toto *NIHIL EORUM, QUÆ QVISQVE PERSEI BELLO PRIVATIM AC PUBLICE SENSISSET, INQUISIVERIT; NE CUJUS METU SOLICITARET ANIMOS SOCIORUM.* XLV. 28. Nam ſuper aſſiduam eminentis fortunæ comitem invidiam, quodq; ferè homines imbecillioribus favent: de quibus Mithridatis Epiſtola ad Arfacem apud *Salluſtium* H. IV. & Oratio Galgaci in *Agricola Taciti* cap. XXX. quin ipſe etiam in hâc cauſâ *Livius* XLIV. 24. & *Cicero* conferri poſſunt: adeò Perſeus etiam variâ fortunâ cum Conſulibus per biennium conſiſſerat, ut plerumq; ſuperior, Thracas atq; Illyricos palàm ſocios armorum haberet, ceteri *dubiâ adhuc dum fide ſpeculati fortunam, proniores Regis partibus viſi fuerint: ipſeq; demùm Eumenis Rex in eo bello medius, neq; Fratris inſitiis, neq; ſuæ conſuetudini reſpondent.* Sic diſertè *Vellejus* l. 9. Verùm victo jam Perſeo in has voluntates ſerum erat inquirere. Ac neq; liberi ſpiritus irritandi graviùs, cauto Seni, ſuiq; Populi ſenſus gnaro, ſine cauſa videbantur. Conſtat quippe ex *Livio* XLV. 42. vel Thracibus ipſis, explicantibus factum ſuum, comiter à Senatu Romano reſponſum. Græci autem evaſiſſe læti, & hoc magis adulantes, certavère veneratione; PAULLUMq; & ſecum commorantem, moxq; ad ordinandam Macedoniam converſum, carminibus ap-

plausuq; universo, credoq; & coronarum sparsionibus, quo genere honorum Græci Flaminium paullo antè Consulem Nemeæ in Theatro, postquam is liberam Græciam ex decreto Senatûs Populiq; Romani pronunciauerat, Matronæq; præterea etiam tæniarum quacunque incideret, & ut anni ferebant tempestiuitates, florum & fructuum injectione Aristomenem Andaniam reuersum affecere, (vid. *Polyb. Excerpt. Ap- pian. IX. 5. Flor. II. 7. 14. Capitolin. in M. Antonin. IV. & Pausan. in Messeniatis*) profecuti sunt; & iterum iterumq; superesse Reipublicæ, superesse quoque sæculo, Deos Deasq; & quicquid etiam Heroum erat rogavere.

§. XLIV.

Hæc ferè erant, quæ de PAULLI MACEDONICI PEREGRINATIONE per GRÆCIAM visum est in præsentia ad Livium quomocunque fortassè commentari. Nec offendet Lectorem, si de multis, quæ occurrere poterant, puto non nisi potissima & utilissima decerpsi. Memor, quod debebam, temporis, nec minus Academia Legum; cum & modestius videretur non annumerare paginas, nec authoritatibus citandis spatium implere, quod rebus ac demonstrationi ipsi erat impendendum.

§. XLV.

Prout autem hæc ipsa quæ coluimus Adolescentes, conservabimusque dum vita superest, studia bonarum literarum, foecunda sunt inprimis, atque ut cogitatio cogitationem parit: Sic ubi de PAULLO diximus, PAULLUS statim alius in mentem venit. Non ille quidem togâ & fascibus, aqvilisq; atque exercitu superbus, sed in pallio vili, & inermis ac solus; ast majestate tamen CHRISTI Regis Regum & Domini dominantium præfulgens, victor triumphatorq; quantum à Syria ultra Illyricum protenditur Gentium, quas ad CHRISTUM perduxit. Hic ille PAULLUS est, qui relatis ad se visisq; rebus, quas Macedonicus gesserat, si joculari collibuisse, ut erat etiam à Poëtarum lectione instructissimus, figurarumq; quoque haud rudis, dicere credo poterat,

- - *rerum quæta pars est ista mearum?*

Aut diceret, si Historicum præferimus, cum Alexandro: *Magnitudinem rerum quas gessimus milites, intuentibus vobis, minimè mirum est & desiderium quietis & satietatem gloria occurrere. Ut omittam Illyrios, Triballos, Bœotiam, Thraciam, Spartam, Achaos, Peloponnesum, quorum alia ductu*

ductu meo, alia imperio auspicioque per domui: ecce orsi bellum ad Hellepontum, Jonas, Æolidem servitio barbarie impotentis exemimus: Cariam Lydiam, Cappadociam, Phrygiam, Pamphyliam, Pisidas, Ciliciam, Syriam Phœnicen habemus in potestate. Plures provincias complexus sum quam alii urbes ceperunt. Ac nescio an enumeranti mihi quædam ipsarum rerum multitudo subduxerit. Curt. VI. 3. 1 ff.

§. XLVI.

Ac ne hoc forte magnificentius quam veriùs dictum putes: en tibi ex Lucâ, & ex ipso Paulo loca, nomina, ordinem, ambitum, & periplum universum. Tendebat Damascum PAULUS, & in ipso itinere propè urbem ad CHRISTUM conversus est. Act. IX. 3. Exinde verò in Arabiam ivit. Gal. I. 17. Damascumque reversus Act. IX. 25. Gal. I. 17. 2. Cor. XI. 32. Hierosolyma tetendit. Gal. I. 18. profectusque inde Cæsaream, & inde in Syriam, Ciliciam & Tarsum. Act. IX. 29. 30. hincque Antiochiam Act. XI. 25. 26. ac postea in Cyprum venit, Act. XIII. 7. moxque Antiochiam Pisidiæ, ac de hinc Iconium, Lystra, & Pisidiam Pamphyliamque provincias lustravit: postque Antiochiam Syriæ repetens, Act. XIII. 14. 51. XIV. 1. 2. 3. 8. 19. 21. 26. denuò quoque Hierosolyma Act. XV. 6. 7. ac tertio Antiochiam Gal. II. 11. indeque & Syriam & Ciliciam inspexit: moxque Derben, Lystra, & Philippos Macedoniae petiit Act. XV. 41. XVI. 1. 12. delatusque porrò Athenas, Act. XVII. 15. 34. mansit post id Corinthi per sesquialterum annum, Act. XVIII. 1. 11. & inde in Asiam reversus, Ephesum, Cæsaream, Hierosolyma & Antiochiam Act. XIX. 1. Ecclesiasque etiam in Phrygiâ & Galatiâ invisit, rursusque Ephesi biennio toto commoratus Act. XIX. 22. Troadem inde, atque inde in Macedoniam ivit; Act. XIX. 24. XX. 5. moxque & in Achajam perrexit, & Corinthum salutavit: atque inde porrò in Græciam profectus, ubi de insidiis cognovit, quæ sibi in Syriam ituro parabantur, Troadem, atque inde Assum, & Mitylenen, atque mox Miletum venit, Act. XX. 6. 9. 12. 13. 14. post quæ & Rhodum, Patara, Tyrum, Ptolemaida, ac tandem Cæsaream Stratonis, & Hierosolyma adiit. Act. XX. 15. 17. XXI. 1. 3. 7. 8. 17. ibique in custodiam datus, atque Cæsareæ per biennium asservatus, demum Romam ad Neronem missus est. Act. XXI. 30. XXIII. 25. Et sunt qui Lucâ in his finiente historiam, actus etiam ministeriumque PAULLI unâ conclusa putent. Sed Eusebius aliter. Ejusque auctoritatem recipiendam, usque adeò Euthalius Diaconus svadet, ut planè veluti imperet,

peret, & quicquid etiam in contrarium afferri possit, satis ipse confutet. Extat autem ejus *Prologus in Epistolas Paulinas*, in antiquissimis membranis, ut erat ætate proximus Eusebio: cujus partem *Erasmus & Robertus Stephanus*, integram verò *Boeclerus*, & post illum *Curcellaus* edidère. Ac nobis credo licitum erit illud inde membrum decerpere, quo hoc refertur, Tiberiani Principatus Anno XIX. cœpisse PAULLUM prædicare Evangelium, & perrexisse ad annum usque X. & III. Imperatoris Claudii: quâ tempestate Felix Judææ præsedet: coramque isto accusatum & vinculis detentum, apud Festum deinde Felicis Successorem respondisse, ac Romam porrò ad Romanum Cæsarem dimissum: Romæ autem rursus duobus annis in liberâ custodiâ servatum, ac demum quoque absolutum, per alios X. annos denuò provincias obivisse: ac tandem à furente Principe anno imperii XIII. à nativitate Dominicâ LXIX. à Passione XXXVI. sui autem ministerii XXXV. securi percussum. Bisque adeò Romæ fuisse PAULLUM, bis accusatum, bis defensum: sed absolutum primâ vice, at secundâ damnatum *Euthalius* collatis apud Paullum ipsum locis credidit significari. Nam de priori Apologiâ scribere manifestè PAULLUM ad Timotheum, cum ait, *neminem sibi tunc adfuisse, à CHRISTO autem præbitam vim, qui ipsum quoque ex ore Leonis*, sic Neronem indicat, *servaverit*. Ad captivationem verò secundam applicat, quod in Epistolâ alterâ Apostolus dicit: *Ego verò jam labor, & tempus meæ remigrationis instat: certamen præclarum decertavi, cursum consumavi &c.* IV. 6. ff. Favetq; Euthalio illud mirè etiam, quod in ordine Epistolarum à Paulo scriptarum, cum tertio loco ex arata sit prior illa ad Timotheum: altera decimo atque quarto, & postrema ad eò ex omnibus perscripta est.

§. XLVII.

Sed enim verò vel absque his liquere puto, longè huic, si comparentur, PAULLUM illum, cujus nomine dissertationem inscripsimus, concedere. Nam quicquid fuit denique, quod PAULLUS Macedonicus istâ expeditione egit; quod majus certè non est, quam quod ipse de se post reditum ad Populum Romanum prædicavit: *Profectus ex Italiâ, classim à Brundusio sole oriente solvi; non à diei horâ cum omnibus meis navibus Corcyram veni. Inde quinto die Delphis Apollini pro me exercitiibusq; & classibus vestris sacrificavi. A Delphis quinto die in castra perveni: ubi exercitu accepto, mutatis quibusdam, quæ magna impedimenta*
victo-

Victoria erant, progressus, quia inexpugnabilia castra hostium erant, neque
cogi pugnare poterat Rex, inter praesidia ejus saltum ad Petram evasi, & ad
pugnare Rege coactio, acie vici: Macedoniam in potestatem Populi Romani
redegi, & quod bellum per quadriennium quatuor ante me Consules ita
gesserunt, ut semper successorum traderet gravius, id ego XV. diebus perfeci,
Aliarum deinde secundarum rerum velut proventus secutus: civitates om-
nes Macedoniae se dediderunt: gaza regia in potestatem venit: Rex ipse,
tradentibus prope ipsos Diis, in Templo Samothracum cum liberis est captus.
Liv. XLV. 41. Verum ego contra haec omnia vel solam CORINTHUM
tuto opposuerim: quam non nisi post mensem XVIII. & labori inenar-
rabili APOSTOLUS cum CHRISTI imperio univit. Nam sicut fors
apud homines ingeniosos facile fuit commentitios Graecorum Duos,
quorum praecipua Corinthi Venus, evertere: ita inolita vitia opulenta
urbis (sic enim illam *Homerus ἀφνειὸν*, & *Pindarus ὀλβίαν* dixit) non
ita facile meliori disciplinae cesserunt. *Scortationem pro re illicita ha-*
bere, quod nemo quisquam statuebat gentilium: *incestos etiam concubi-*
cus in se mali aliquid habere, quod Diogenes, imò verò Stoici & Epicu-
rei negabant: *corpora resurrectura*, quod neque Platonici credebant,
quorum propria quaedam assertio corpora animis data esse in poenam:
Deum curam agere rerum humanarum, quod non Epicurei modò, sed &
Peripatetici rejiciebant: *De principatu alteri concedere*, cum optimos
quosque mortalium altissima cupere, & contemptu famae virtutes con-
temni, nemo non dixisset: haec à Corinthiis obtinere cuncta, atque ut
semel in conspectu exponam, quae in illis maximè Apostolus per utram-
que Epistolam accusat, ἀλαζονίαν, ἀνθάδειαν, τόλμην, ὑπερηφάνίαν, ζη-
λον, ἐριδα, φιλονεικίαν, μιανὰς καὶ ἀνάγνας συμπλοκάς, μέθας, βδε-
λυκτάς, ἐπιθυμίας, μισαράν μοιχείαν evellere ex animis atque prote-
rere: haec tanta erant profectò, ut si modò intelligere id posset alter ille
PAULLUS, homo gentilis, crediturus fuerit plus quam Phalangem sibi
Macedonicam occurrere, de qua, ut habet Polybius in fragmentis, saepe
Romae apud suos fassus fuit, nihil se unquam quicquam formidabilius spe-
ctasse.

§. XLVIII.

Sedet autem jam & animo propius aetatem nostram Parallelismo
progredi, & conferte isto loco VENETOS per GRÆCIAM, quod glo-
riosissimum Peregrinationis genus est, ARMATOS atque TRIUM-
PHAN-

F

PHAN-

PHANTES INCEDENTES. Nam primùm omnium TURCÆ raptis induciis bellum grave atqve mericulofum LEOPOLDO CÆSARI intulerant. VINDOBONA autem (& quid tunc homines timerint, quæ Cæfaris trepidatio, quæ confufio Auftriæ, quæ Germaniæ metus, & in quam arto falutis exitiique cuncta fuerint confinio, neque mihi feftinanti exprimere vacat, neque cui vacat potefl) Vindobonâ inquam captâ, Ungariaque quod deinde fequebatur perdomitâ, terror ad omnes Chriftianos, proximè ad Italiam Venetosque pertinebat, quorum etiam ex potentiâ præcipuum crimen. Fœderato autem, ac Chriftiano & infanti maximè Principi opem ferre, tam & pium, & iuftum & neceffarium erat, ut viderentur injuriam facturi, ni cum poffent, prohiberent. Cumque ad hæc omnia, CANDIA ab hoc ipfo MAHUMETE IV. fibi ante XIX. & quod excedit anno, CYPRUS verò à SELYMO A.C.1572. pluresque minores INSULÆ, & PELOPONNESUS pleraque; jam olim, latrocinio primùm, mox per bella ereptæ, poffent VENETIS occurrere, ipfi tamen sæpius ac præcipuè ad PERPETUUM HOSTILE PROPOSITUM, & infandam crudelitatem barbaræ atque immanis Gentis, mentem & confilia fua referebant. Sunt enim & manent TURCÆ Chriftianorum certiffimi hoftes; ardent in expiabili odio defiderioque extirpandæ Religionis & Libertatis: ultra jus belli sæviunt in captivos & victos; quos in auditis acerbitatibus difcruciant, jugoque fervitutis intolerabili ac plusquam ferreo premunt. Neque eos ab hoc hoftili propofito, & perpetuo furore pactio interpofita aut fœdus cum Chriftianis Principibus avertit. Quippe qui fidem Turcicam aliter quam ex ufu proprio difpensari putant, vehementer falluntur. Fides omnis in libidine Tyranni, in occasione temporum. Quoties volunt, bellum in pace eft. Quod ergò jure poterant, jam & volebant VENETI: armisque generosè fumptis, primo itinere profecti LEUCATAM venèrè, maris Jonii infulam, oræ Epiri occiduaè adèò vicinam, ut continenti juncta videatur, & inter Acroceraunia & Peloponefum medium teneat. Hodie SANCTA MAURA appellatur, verfusque ortum Urbem cognominem ac permunitam habet. Erepta Venetis fuerat, à Mahumete II. fed A.C.1684. fortiffimus vir, Thalaffiarcha tunc, & hodie Dux FRANCISCUS MOROSINUS Venetis reftituit.

§. XLIX.
 A tam felici viæ exordio itum eft, CORONEN urbem PELOPON-

PONNESI, (quæ MOREA in præsens,) sitam sub Thermatio monte in orâ sinus Messeniaci. Quam naturâ & arte egregiè munitam, ac si-
ve à Despotâ traditam, seu armis vindicatam ab A. C. 1204. Veneti te-
nuère: donec A. C. 1462. ab Ottomanno frustra tentatam, Bajazetes II.
post id occupavit, ac recuperatam postliminio 1533. Caroli V. Imperato-
ris armis, sed statim à Turcis repetitam, tamq; accuratè semper custodi-
tam, ut soli illam Turcæ incolerent, Christianis & Judæis in suburbi-
à relegatis; Veneti demum A. C. 1685. Duce eodem MOROSINO, labo-
re quanquam infinito, ac nonnullo impenso sanguine, (quod & hostilis
exercitus, qui suppetias laterus advenerat in fugam agendus, & præfidi-
ariorum contumacia remediis ultimis frangenda fuit, denique in pote-
statem redege. Qui idem annus & Mainottas Venetis restituit circa
Tanarum habitantes, ferocem ac bellicosum Peloponnesi populum:
qui Turcarum impotentia invisus, melius olim, juxtaque libertatem sub
imperio Venetorum habitasse meminerat. Longum foret recensere,
quæ anno 1570. ibi gesta sunt. Duraverat tamen, quanquam omni ex-
terno auxilio destitutus patientia: donec hic ipse Mahumetes IV. quic-
quid in servitute ultimum esset imponere conatus, simul his aditum ad
libertatem, simul etiam Venetis favorabilem occasionem dedit, tam sibi
opportunam gentem veluti ad pileum vocandi. Secutaque mox ZAR-
NATÆ, munimenti in his partibus fortissimi deditio; id quod penè suis
oculis Turcæ ad spexêe, non minus XII. M. undique exercitu contracto:
nisi quod majore & animo & fortunâ Veneti, victo hoste, CALAMA-
TAM ipsam (quæ Therannæ, vel Therapne, vel Tabea antiquis) ad
quam prælium factum erat, solo æquavère. Restabant itaque in Laco-
niâ PASSAVA & CHIALEFA, compedes & claustra in hanc diem
Mainottarum. Quibus denique & ipsis referatis, jam liberius agere
pro Venetis adserti populi, Venetique ipsi animis auxiliisque fortiores,
irritam, collectis vere proximo 1686, ad eundem numerum Turcis,
damni tanti emendationem fecêre.

§. L.

Et LACONIA tota jam (si EPIDAURO LIMERAM, quæ
nunc NAPOLI DI MALVASIA, exciperes, quanquam & ipsa postea
accessit) urbsque LACEDÆMON, MISITRA hodiè, illa tam po-
tens olim & XXVII. annorum bello, quod Peloponnesium dicitur, & à
Thucydide descriptum est, sufficiens, imò verò & victrix, proh! quanta
rerum conversio est, in Venetorum postestate.

F 2

§. LI.

§. LI.

Excepit verò ratio rationem, & fortuua fortunam, PYLUM quippe Messeniorum, Nestoris Homerici sedem, jam NAVARINUM vocant, quod portum habet commodum, duplici castro munitam, ubi Turcarum classes convenire solent Christianos Europæos invasuræ, Bajazetes II. A. C. 1498. eripuerat. Veneti 1686. mense Junio deditioe receperunt. Receperuntque non ita longè & alterum NAVARINUM NOVUM dictum, illis, qui ad opem ferendam acceleraverant, justo penè prælii pulsus. De hinc impetus belli in METHONEN conversus est. MODON aliàs, vel MUTUNE vocatur. Estque urbs Messeniæ in orâ australi, & emporium celebre, cum portu capacissimo; populosa imprimis, atque Arce insigni permunita. Tenuerantque aliquando Veneti. A. C. 1124. & 1204. Verum Bajazetes II. cognomento Gilderus seu fulminator dictus A. C. 1499. assultu cepit. Sed possessionem idem illis MOROSINUS. C. A. 1686. mense Junio extorsit, consilio & virtute fortissimi comitis Koenigsmarckii adjutus.

§. LII.

Et arma mox ad NAUPLIAM promota. Hæc urbs (NAPOLI DI ROMANIA) facilè tunc Peloponnesi princeps, & amplitudine, in colis, portu, hospitibus, munimentoque fulgentissima, diu sub Dominio Veneto, defensaque fortissimè adversus Mahumetem II. A. C. 1462. & anno 1538. adversus Solimannum II. cum idem vertente anno oppugnationem repetisset, conditionibus evicta fuerat. A conditionibus iterum post acerrimam defensionem, ad heros veteres reversa est.

§. LIII.

Cum autem semel proposuissent Veneti PELOPONNESUM integram recuperare: credidère sinum utrumque, quibus Isthmo excepto ab Achajâ excluditur, sui juris esse faciendum. Et Sinum Crissæum five Corinthiacum (Golfo di Lepanto) duo promontoria cum suis castris Rhio & Antirrhio præmuniunt. Utraque autem Venetis. A. C. 1687. cessere. Cessitque LEPANTO quoque, olim NAUPACTUS, & post A. C. 1408. ditionis Venetæ, subacta tamen 1499. à Bajazete II. & nunc rursus Venetis asserta. Quam secutæ sunt PATRÆ; (PATRASO, vel PADRAS) quanquam non sine prælio, quo cum XIV. millibus Turcarum confingendum erat. Tum vero CORINTHUM, (quæ Turcis GEREME) itum est. Quam à Mahumete II. A. C. 1462. occupatam;

Veneti

Veneti jam, sed non nisi combustam, ultro à Turcis & incolis vacuefactam accepere. Receptæq; sunt demum & ATHENÆ, (nunc SETINES) anno postquam servierant 232. Intra quod tempus ita ab antiquo cultu defecere, ut quod olim de Samnio Florus usurpavit, l. 16. 8. hodiè Athenæ in ipsis Athenis requirantur, nec facile appareat materia tot quondam Panegyricorū. Postremò, ne tu fors EURIPUM & CHALCIDEM (Negroponte) à solo Macedonico visum putes, etiam illuc Veneti penetravere, & suo tempore, quod speramus, Turcis eripient.

§. LIV.

Quod si PEREGRINATIONES elegantia, cultus, venustatis, deliciarum, venerum, magnificentia, splendoris, ac si quid ejusmodi est, contemplatione sint censenda: haud dubiè plus tunc in PEREGRINATIONE GRAECA PAULLUS vidit & percepit. Adeò nunc tota Græcia à Turcis devastata, in exiguis ruderibus deserta, & ipsa barbarie magis barbara à Venetis deprehensa fuit. Ast verò vincere & expugnare, & imperio tenere urbes, provinciasq;, elegantiamq; illis, nitorem, cultum, statum, leges, jura, literas, ac pacem denique, pacisq; fructus reddere, quod faciunt facientq; Veneti, si quod conceditur & ipsum pluris est multò, quàm provincias lustrare, atq; contueri, & oculorum vel animi quâdam exfatiatâ voluptate inde rursus discedere: jam haud dubiè cum VENETIS faciendum est. Qui, ut eidem ordini, quem tenuit in via PAULLUS, hîc insistam, post Naupactum captam DELPHOS quoq; (viculum licet modò in planitie jacentem) sui juris fecerunt. LEBADIA verò ATHENARUM accessio putanda est. CHALCIS munitio- ne quidem diu ferox, iisdem auspiciis postremò infracta, idem quod Peloponnesus ignavum, stipendium brevi conferet. Et EURIPUS, ut de Euphrate Maro, jam mollior undis ire videtur. AULIS verò & OROPUS cum interciderint omninò, soli tamen sui, vestigiorumq; dominos Venetos agnoscunt. Tenent ATHENAS Veneti, tenent CORINTHUM, qualibuscunq; reliquiis interim, dum vitam & spiritum à Venetis recipiant, gaudentes. ISTHMUMq; jam & armis, & famâ Venetorum, quàm vel muro, qui pridem collapsus est, aut illis, quæ ducta sunt, inchoamentis fossæ, semet tutiorem existimat. SICYON quanquam multum pristini splendoris amiserit: ac neque multò etiam splendidius ARGOS sola nunc ex tantis opibus, non jam invidendâ Arce, cum paucis tuguriis restante: denique illa quoq; jam olim licet despolita EPIDAUROS: tamen quia sub VENETIS sunt, levare caput, fulera dispicere, surgere solo, motum, vires, actum recipere, & sperant & gestiunt

ac nituntur; confisæ prudentiâ & bonitate REIPUBLICÆ semper optimæ,
semper etiam providæ, ac justæ, neque minus & fortis & felicis.

§. LV.

Quin credo & LACEDÆMON ipsa concutit semet generosè in ruinis suis,
roborisq; veteris & clarissimarum virtutum recordata, dum à Tyrannis
modò, quos jam inde ab origine ultimâ vehementer horruit, liberata est,
sub sapiente & moderato VENETORUM imperio vitam, statum, fortunamq;
aliquam, & fingere audet animo, & novum sæculum, non voto magis, quàm
fiduciâ voti aliquâ, complecti: Crediderimq; hunc sensum & hos animos
etiam MEGALOPOLI sub præsentibus Dominis redire posse. Qui ut primùm
firmata pax erit, reddent Civitati, cum cetero statu etiam veteris sui civis
(supra autem de POLYBIO prolixius differui) codices residuos, disciplinam-
q;ve universam Græciæ, cum Venetorum tamen sapientiâ, fide, gravitate,
pondere, constantiâq; mixtam. Demumq; nec OLYMPIA, quæ nunc Laca-
nigo, deterius sub Venetis habebit. Quæ etsi nunc quidem ex omnibus,
quod oculis subjiciat, nihil quicquam habet: at habet tamen, quod expo-
nat animo. Atq; illud fortassè præcipuum, (& ô si omnes hoc audiant &
spectent!) quod Scipioni olim Æmiliano, vel ipse deletæ jam abs se Car-
thaginis miserrimus aspectus suggesit. De quo præclare sanè *Appianus*:
Diu, inquit, multumq; cogitans considerabat civitates etiam, gentesq;, & im-
peria mutationibus obnoxia esse omnia hæud secus quàm fortunas hominum,
in Punicis. Quæ verò heu quàm fragiles & fluxæ! Sic enim ille XERXES.
Qui vires Orientis secum trahens, naturæ statum mutare, mare vinculis
constringere, Græcis diem ultimum inferre, nihil denique non posse præ-
sumserat, satis habuit postremò piscatoriâ naviculâ ad salutem effugere.
Herodotus VIII. 118. Sic ille CÆSAR, qui terrarum orbem civili sanguine
impleverat, tandem ipse sanguine suo curiam implevit. *Flor. IV. 2. 95.* Et
sic ille etiam ANTIOCHUS, qui montes montibus imponere, & cælum digi-
to contingere, & leges figere atq; refigere, & nihil tranquillum, nihil us-
piciam certum, nihil in eodem statu relinquere, sursum ac deorsum vertere
universa, illudq; denique, omnes ante se Principes, quantum sibi liceret i-
gnorasse, docere quasi publicè jactabat: hic tamen ANTIOCHUS resupina-
tus Dei manu, jacuit atq; computruit, perq; minutissimas mortes, proh
pudor! à vermiculis confectus, exemplum utile sæculis reliquit, brutum
fulmen cadere posse etiam ex tali manu. *II. Mach. IX. 4. ff.*

§. LVI.

Sicut autem Philosophia ista, seu meditatio, REGUM maximè ac PRIN-
CIPUM

ma,
suis,
annis
a est,
amq;
quam
imos
mum
civis
nam-
tate,
Laca-
ibus,
expo-
ant &
Car-
anus :
Sim-
inum,
XES.
nculis
e præ-
ugere.
gvine
5. Et
a digi-
nil us-
ertere
eret i-
apina-
proh
utum

CIPUM propria est, quos vel sui insolentiâ ingenii vasta, immoderata, ni-
mia, abrupta cupere, & inusitati facinoris celebritate nomen sibi & famâ
parare, magisq; ac magis indies agitari, (quod Vellejus noster multis lo-
cis) *Sallust. Cat. II. vel diuturnitate imperii in superbium mutare, Tac. An.*
XII. 29. & indulgentiâ fortune, pravusq; magistris discere atq; audere, Tac. H.
II. 84. 4. sæpèq; adeò post magnam rerum experientiam vi dominationis
convelli. Tac. Ann. VI. 48. 3. humanæq; sortis oblivisci. Curt. IV. 7. 25. nimi-
rum heu quàm crebrò constat: Ita privatos & peregrinantes quoslibet nō
indecebit, in ejusmodi cogitationes hîc diffundi, quales *Servius Sulpitius*
ad *Ciceronem* retulit. *Epist. Fam. IV. 5. Ex Asiâ rediens, cum ab Æginâ Me-*
garum versus navigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere. Post me erat
Ægina, ante me Megara, dextrâ Piræus, sinistrâ Corinthus: quæ oppida
quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta ante oculos
jacent. Cœpi egomet mecum sic cogitare: Hem nos homunculi indignamur, si
quis nostrum interiit, aut occisus est; quorum vita brevior esse debet; cum
uno loco tot OPPIDORUM CADAVERA projecta jaceant. &c.

§. LVII.

Speciatim autem si qui sunt, quibus vel ruinas, vel cineres, ac vel ve-
stigia relegere oculis volupe est: quos, dubium, an satis rectè, *Philostratus*
in Apollonio II. 4. ἀρχαιολογίας ἠττονας, hoc est, *antiquitatis nimios ama-*
tores vocat: illis locum ego insignem *Strabonis* suggero, quem ipse quidem
ad descriptorem rerum seu Historicum direxit; ego vero promiscuè etiam
ad spectatores isto loco traho. Sic autem habet: *Naturales quidem oportet*
referre, (visere,) locorum conditiones, cum permaneant, mutationi obno-
xiis iis quæ sunt adscititiæ; quanquam harum quodq; pleræq; non sunt præte-
reunda, quæ aliquanto saltem tempore permansura sunt, ac quibus aliquid fa-
mæ & nobilitatis adhaeret. Hæc enim etiam ad posteritatem locis illis inherens
efficit, ut quasi adnata videantur ea, quæ jam pridem desierunt esse accidentia;
ut facile appareat, horum quoque faciendam mentionem. (habendam curam.
Hoc enim de multis urbibus licet pronuntiare, quod de Olyntho, & vicinis di-
xit Demosthenes: quas ita ait deletas esse, ut si quis nunc ad ea loca perveniat,
is dubitare possit unquamne ibi fuerit habitatum. Veruntamen in hujusmodi
loco libenter homines proficiscuntur, ipsa vestigia tam nobilium operum cupi-
entes videre: sicut & sepulchra inclytorum virorum. Eadem ratione Le-
gum quoq; & formarum Reip. recordamur jam alibi abolitarum, utilitate ad
banc cognitionem non secus quàm ad actionum notitiam invitante. Aut enim
ut imitemur ea, aut ut devitemus, cognita nobis esse cupimus.

§. LVII.

§. LVII. Sed tempus est demum à Venetis ad SAXONICAM GEN-
TEM veniendi: in quâ etiam pulcherrimâ materiâ Dissertationem istam
finiemus. Nimirum ne aut dememinisse REGNATRICIS DOMUS,
aut parùm quoque observantes præceptorum egregiorum, pietatisque in
Principes immobilis, quæ MISENÆ in provinciali Ludo, singulari, & huic
Scholæ proprio consilio traduntur extitisse arguamur.

§. LIX. Si PEREGRINATIO id significet, quod in titulo Expositi-
onis universæ intelligi voluimus, serò demum NOSTRI PRINCIPES pe-
regrinati sunt. Hæere in solo suo Plantæ generosæ; si non magnarum
virtutum aliunde compotes, domi tamen vitiis impermixti. Et hæc ni-
hilominus austeritas animosus, graves, strenuos, inconcussos, sapientes,
Germanos ex Germanis, ac super omnia religiosos, pios, & quanquam
inter homines, divinos penè Principes peperit. Quos fors etiam per nomi-
na digererem: nisi cuncta hæc animis oculisque volentium per Annales
ire, si qui sunt, aut si quid est etiam consimile Annalibus, exposita ex tarent.
Neque enim Peregrinationes, sed disciplinam, educationem, scholam vo-
cabant, si JOHANNES Georgii Filius cum Archiduce Carolo, (quem
postea Imperatorem cognovimus) in Belgio: MAURITIUS Dræsdæ apud
Patrum Georgium, & Johannem Fridericum Patrualem Torgæ: SEVE-
RINUS & AUGUSTUS Henrici F. F. cum liberis Ferdinandi Regis, seu
Pragæ seu Oeniponte: JOHANNES autem Joh. Wilhelmi F. apud Au-
gustum Electorem, alii alibi erudirentur.

§. LX. PEREGRINATIONIS hujusmodi SIMILITUDINEM
quandam dices, cum vel spontè suâ, vel Cæsarum suorum auspicia secu-
ri, adversus infideles in bella tum profecti sunt. Ex quibus illa quæ con-
fusancâ cum barbaris lingvâ *Passagia* vocata sunt, & qui purius, sed pro fu-
perstitione tamen temporum loquebantur, *iter sanctam, viam DEI, conspi-
rationem & conjurationem sanctam via Hierosolymitana, vel clarius bellum
sacrum, sacram militiam, expeditionem in Turcas* dixere. Si autem quod
res est, dicendum sit breviter: Romani tunc Pontifices, quibus præcipuus
omnium consiliorum finis in stabiliendo dominatu indebito, inque con-
culcandâ civili majestate consistebat, modò pericula sibi ab Imperatoribus
aut Principibus objecta, proposito *Passagii* negotio veluti declinabant,
modò curam suam pro Ecclesiâ, & Religionis propagandæ ardorem, tam
speciosi nominis jactatione ostentabant, plerumq; autem affectati in Prin-
cipes Regesque imperii specimina sub sanctis titulis usurpabant, a que
sensu aliarum molitionum in civilibus, hominum animos divertebant, &
genc-

generosos & feroces spiritus, nec laturos fastigium Papalis ambitionis, veluti relegare atque egerere studebant. Quæ ipsa, sed plura multò apud Bœclerum legere licet de Passagiis. Et ivère ex nostratibus Principibus adversùs Saracenos cum Conrado III. Imperatore A. C. 1130. & iterum cum eodem Imperatore A. C. 1146. Conradus Magnus, & Dietricus Exul, auspiciis Imperatoris Henrici VI. circa A. C. 1198.

§. LXI. Propius autem cum PEREGRINATIONE PAULLI MACEDONICI congruunt PEREGRINATIONES solo PIETATIS & DEVOTIONIS, hoc est, inermi, innoxio, & privato titulo præscriptæ. Nam certè & Livius PAULLUM MACEDONICUM per specimina omnia PII DEVOTIQVE (pro Religionibus verò temporum istorum loquor) PEREGRINATORIS traduxisse visus est. Qualiter WILHELMUS Friderici I. Filius A. C. 1440. ALBERTUS Animosus Friderici II. Filius. 1476. HENRICUS Pius Alb. F. 1498. & postremus ex omni numero FRIDERICUS III. sive Sapiens, Elector, A. 1493. profecti sunt: vix alio licet operæ tantæ pretio, quàm ut maritimis jactarentur, & cum nautis & barbaris hominibus, dubium an periculosius molestiusne confligerent.

§. XLII. Prælusère tamen PEREGRINATIONIBUS, quas nos hîc dicimus, veluti ALBERTUS Animosus, & JOH. WILHELMUS Joh. Frid. El. Filius: qui suis quisque causis stimulisque, præter Germaniam quâ patet, etiam Hungariam, Galliam, Belgium vidère. Donec demum itinere ordinato descriptoque, nec solius voluptatis, sed morum, artium, linguæque studio JOH. GEORGIUS I. & vidit Italiam, ac vidisset Galliam, ni morbo, periculis rationibusque & aliis domū repetere admoneretur. Post quem, ex Gothana Linea Ernesti Fratris Wilhelmi Filii Fridericus atque Albertus, & Viniariensi WILHELMUS Johannis F. & JOH. ERNESTUS Filius Wilhelmi, sed & postremò Fridericus Augustus Joh. Georgii Isenacensis F. Princeps indole, vultu, gestuque omni inimitabile quippiam pulcherrimumque præferens, sive his ipsis, quas insinuavi, ingenii artibus, sive animi dotibus, solertiâque universâ ita satisfacit, ut Galliarum Potentissimo Regi, LUDOVICO, & MAXIMILIANO EMANUELI Electori Bavariæ clarissimo, æstimatus incredibilem in modum, creditusque promiscuè etiam fuerit, Gallicum genium elegantiamque in eum commigrasse: cum ipse tamen quæ diceret, quæque faceret, mirè temperaret, dubiumque postremò relinqueret plusne Gallia Germaniæ, an Germania Galliæ ad efformandum tam memorabilem Principem contulisset? Sed & JOHANNES GEORGIUS III. Elector, Dominus noster Clementissimus, DANIAM plus vice simplici in-

G

visit.

vifit. At GALLIAM, non aliud tamen quam delibavit miles. BELGIUM
luftravit totum. Et GERMANIAM superiorem, VINDOBONAMq; pri-
dem fæpiùsq;, fed demum & ITALIAM, qua Veneti imperant, fpectavit.
Sed ex FILIIS Serenisfimis major natu, Hæresq; Electoratûs, JOHAN-
NES GEORGIUS IV. ordinatifimis itineribus Galliam, Angliam, Bel-
gium, & Germaniæ plerasq; partes, neq; minus & Daniam, unde illi ma-
terna origo, & jam etiam AMORES, perfpexit. Qvem fuo tempore secu-
tus & Frater FRIDERICUS AUGUSTUS, illis, quæ jam dicta funt, Pro-
vinciis Regnisq;, etiam Hispaniam Lufitaniamq; adjecit: quò, fi HENRI-
CUM Alberti filium (qui tamen non nifi D. Jacobum Compostellæ salu-
tatione donoqve, quod pravæ temporum illorum fuperftitiones exige-
bant, coluit) excipias, nemo hujus Gentis penetravit.

§. LXIII. Exiverant domo exceliffimæ ftirpis indolisq; Fratres, difsi-
mulato ferè generis splendore, diverfisq; fed utroq; electiffimo RECTORE.
Ætas tantum, quod adolescentiam egressa. Facies virtutis avitæ, ac laudis
domesticæ luculentis notis perfignata. Vox virilis, mores ad elegantiam
ultrò compofiti; gravitatemq; infuper humanitate condiebant. Scires au-
tem gentile bonum ftudium religionis, & commercium propius cum cœ-
lo: quod Fratrem utrumq; in fèrmones de DEO, & de divinis rebus, metu-
qve ac fpe futuri temporis crebrò impellebat. At verò Statum etiam ac
Leges cujusq; civitatis, & mores, civiumq; ordines, & instituta, discipli-
namq;, ficubi erant, Aulæ atq; Curiarum, & confiliorum copiam, negotio-
rumq; difpofitionem, diligentiam & procurationem, accuratè indagare:
quibus opibus pax invalefcere, quâ fpe in pofteros deftinari, quæ vel præfi-
dia, vel declinatio bellorum, quæ inter certamina fecuritas, quod in pericu-
lis remedium, aut domi repertum, aut foris fubnatum, aut fatorum indu-
ftriâ donatum efferet, interrogare, explorare, fcire: neque minus quæ merci-
monia, unde augmentum caperent, quæ fubfidia tenuiores folarentur, aut
levarent, fcificitari ac conferre: tum quicquid in artibus & inventis, vel ufu,
vel ingenio doctorem nobile, an fors etiam annis, aut raritate eminet, pu-
blicè, perq; domos quoque, indagare, contemplari & cenfere: ac nihil adeò
majoris minorisve rei, quibus vel regi, vel locupletari Respublica queat,
negligere: repofcere etiam à peritis confilia belli, fortunamqve & artem
præliorum, viros & arma confiderare cum ftudio, cumq; judicio æftimare:
& cum his omnibus fuæ quondam Gentis actus, auctoritatem fataq; com-
ponere, ac vel interpretari tacitè, vel ubi loquendum foret, loqui etiam, &
collo-

colloquentium audientiumque animos nobilissimi sui ingenii amœnitate, neque minus veneratione implere: id verò PRINCIPUM erat, ad civilis prudentiæ & robustæ virtutis metam properantium. Eoque factum est, ut PEREGRINATORES isti, ubicunque essent, potius ipsi exteris, quam omnia exterorum ipsis admirationi essent.

§. LXIV. Nobisque jam posthæc PEREGRINATIONIS VERE ILLUSTRIS documenta, omnia ea, ab his Principibus, quibus & Germaniæ felicibus ornetur, atque AUGUSTA HEROICÆ DOMUS merita in ævum propagentur, expectare datum est! Modò ut satis etiam liceat per BELLUM. Quod nempe proposita ut hominum, ita Principum quoque optimorum, heu quàm improspere, quamque sæpè! moratur, rumpit, casusque novos, inexpectatos, incredibiles, bono justoque nemini, ac ne ipsis quidem qui fecere laudatos, objicit nihilominus, atque ut Senecæ verbis dicam, *omne sanctum ac sacrum profanat. de Benef. l. 10.* Ac sanè post tot Paces, nec pauciores ferè Nuptias, aut si nimis longa hæc vincula viderentur, tantisper saltem, dum brevissimæ, quas novissimè pepigimus INDUCIÆ præterirent, parci poterat GERMANIÆ, tam imprimis post DELPHINI & AURELIANENSIS matrimonia, cognatæ: sed quod hæc omnia exsuperat, tam etiam de COMMUNI CHRISTIANORUM CAUSSA merenti quotidie; ex quo LEOPOLDUS CÆSAR & RESPUBLICA VENETORUM, ille solis quasi, ast hæc præcipuis Germanorum copiis, IMMANIS POTENTIÆ TURCARUM, quâ parte EUROPÆ fulcris nitentur, vim penè totam contextumque solverunt. Sed cum XX. annorum essent cum Germanis pactæ induciæ GALLI vix dum QVARTO ANNO exacto, fidem rupere, eaque consecuta sunt, quorum consimilia exempla nisi in TURCARUM MEMORIIS non invenias. Quod ubi primum crebris nuntiis ad nos allatum est, postquam ex VERBO DEI solatia quæsitæ sunt, venit etiam deinde AGESILAI in mentem, qui in ejusmodi pactione summâ fide mansit: *multumque in eo consequi se dicebat, quod Tissaphernes perjurio suo & homines suis rebus abalienaret, & Deos sibi iratos redderet: &c. Nep. XVII. 2.5.* Sed vixit & aliquo post tempore LYSANDER. Cujus vox perquam nota *pueros quidem talis circumveniri oportere, at viros juramentis. Plutarch. Apopht. Lacon. c. 94.* Quin fuere imò, & erunt semper, qui non ignaviâ magna Imperia contineri, virorum armorumque faciendum certamen: qui id in summâ fortunâ æquius quod validius: qui sua retinere privata domus, de alienis certare regiam laudem putent. *Tac. Ann. XV. 15. 6. qui que auferre, trucidare, rapere, falsis nominibus*
im-

257 n 401
imperium; atq; ubi solitudinem fecerint, pacem appellent. Tac. Agr. XXX. 7.
Et erunt etiam ac fuere, qui potentibus rerum, & fortunâ suâ elatis occur-
rent assiduè:

-- -- -- -- -- sidera terrâ
Ut distant, & flamma mari, sic utile recto. &c. &c. nisi dum facis.
Lucan. Phars. VIII. 487. ff. Atque GERMANI quidem, ut fumus simplices.
simplicem PACEM volumus, id est, puram, niveam & verè pacem. Sed
hoc impensius ergò fictam & fucatam illam, pacisq; nomine involutum bel-
lum, quod Cicero Philippicâ VII. 6. monet, reformidare debebamus. Quæ
nempè non pax est, ut idem ait, sed pactio servitutis, Philip. XII. 6. nec fi-
nit bellum, sed differt Sallust. H. IV. 2. Unde porrò natæ sunt Auctorum ge-
nerosæ voces: Pace suspectâ tutius bellum. Tac. H. IV. 49. 3. & misera pax vel
bello bene mutatur. Tac. A. III. 44. 3. Atque utinam potius Marce Tulli, pri-
usquam convenirent istæ pactiones, intervenisses tunc, occlamassesque,
quâ voce olim ipsum illud Imperium Romanum concutiebas premebas-
que: non est, non est vobis Quirites cum eo hoste certamen, cum quo aliqua
pacis possit esse conditio Phil. IV. docuissesque deinde rationibus adductis, ut
fecisti. Phil. VII. cur pacem nolo? quia turpis est, quia periculosa, quia esse non
potest.

§. LXV. Sed aliquantò me longiùs, quàm vel volebam, vel intelligo,
homo quippe civilium rerum imperitus, provecum sentio, dum Scripto-
res seqvor, aliquo mihi quondam studio perlectos. Unde hoc solum a-
gam denique, ut ad PAULLUM illum MACEDONICUM, de quo sum ex-
orsus, redux factus, allegem hîc illa maximè PAULLI verba, quibus fra-
ctum jam ac supplicem REGEM PERSEA percontatus, quâ subactus in-
juriâ, contra Populum Romanum, bellum tam infesto animo suscepisset, quo se
regnumque suum ad ultimum discrimen adduceret? cùm ille terram intuens
contra, diuque tacitus fleret modò, rursusque ibi PAULLUS: Si juvenis,
inquit, regnum accepisses, minus equidem mirarer ignorasse te, quàm gravis
aut amicus aut inimicus esset Populus Romanus. Nunc verò &c. &c. pacem
malle. Liv. XLV. 8. Quin imò verò adjiciatur ceteris & hoc, quod idem
PAULLUS postquam cum Perseo sermone Græco egerat, Latinè deinde
suis: Exemplum insigne cernitis, inquit, mutationis rerum humanarum.
&c. &c. infringet.

S. D. G.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue 3/Color Black

Cyan

Green


Yellow

Red

Magenta

White

3/Color Black



M. GEORGIUS
 MATTIAS HELM
 ACADEMIA
 PLACIDE ERUDITE
 P. R. M.
 CUM PATRIBUS
 EXPO
 ad Livium
 PER G
 PALLIUM
 PEREGR

